BIBLIOTECA CENTRAL U.A.N.L.

ctionibus ſuis, ſe numquam convertunt ad Deum. Hoc divinam excitat iram, & accidit paſſim, ut inanis eorum confidentiæ objecta, Deo jubente, evertantur, creaturis, quibus innituntur, vel deficientibus, vel etiam in ſperantium perniciem converſis. Plerumque Deus inania hæc conſerit Idola, quibus homines ſua nuncupant vota, ut inde ferant auxilium; vel iiſdem utitur, ut illos perdat, atque confundat: *Confundentur ab Idolis, quibus ſervierunt*. Iſaiæ 29. *Idem*.

Dei cor ipſum tangit, qui in eo confidit.

Scis nulla re magis homines affici, quam cum viderint ab aliquo in ſe omnem confidentiam conſtitui. Cum calamitoſum aliquem videmus, qui ad noſtra provolutus genua opem implorat; præſertim vero ſi calamitatis ejuſdem certi ſimus, ac illi opem ferre valeamus; præterquamquod glorioſum eſt calamitoſis opitulari; confidentia hæc, quæ ſatis oſtendit, quanti ab ipſo fiat, & lenitas noſtra, & noſtra poteſtas, efficit, ut calamitatem illius noſtram putemus, eaque nobis miſeratione dignior videatur. Quis vero dubitat, quominus noſtra in Deum pro temporalibus neceſſitatibus confidentia, nova quædam ſit ratio, qua victus nobis favere teneatur? In eo uno ſperant, inquit Sanctus Auguſtinus, ne in aliis hominibus ſperent. *Biroat ſermone pro quarta Quadrageſimæ Dominica*.

Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi. O nos miſeros! Licet nobis perſuaſum ſit de noſtra ſimul, omniumque rerum creatarum imbecillitate; licet ſciamus, Deum unum malis noſtris ſolatium afferre poſſe; ipſe tamen ille eſt, ad quem infrequentius, ſeriuſque confugimus. O deplorabilem hominis conditionem! vel potius o miſeram cordis, mentiſque cæcitatem. Quamplurimis tempeſtatibus acti, inter ſcopulos, ſyrteſque errantes numquamne, ut olim diſcipuli, ad Deum confugiemus? unquamne eam quæremus malatiam, quam Deus unus nobis poteſt efficere? *Domine ſalva nos perimus*. Matth. 8. *Eſſais de Sermons pro quarta poſt Epiphaniam Dominica*.

Deus ſæpe nobis negat opem quia ad alios præter ipſum confugimus.

Ideo Divinæ conſolationis effectum nequaquam recipimus, quidam Sanctus Vir ait, quia nimis ſero ad Deum confugimus, & antequam ad eum confugiamus omnia humana ſuſque deque miſcemus, donec eorum infirmitate perſpecta noviſſime tandem illi vota nuncupamus. Amicus, qui ſe a te negligi novit, & ſcit a te cæterorum præſidium inquiri, ut ſine illius ope optatum finem aſſequaris; cum tandem illius præſidium implorare teneris, exprobrat ille quidem tibi injuriam ſibi illatam, eo quod a te fuerit contemptus, & quod neceſſitas mera, non autem confidentia in ejuſdem amore, te, apud illum ſupplicem ſtatuat. Si te deſerit, id unum facit, quod mereris; ſi poſtquam diu te expectare, ac languere paſſus fuerit, ut factum cognoſcens de temetipſo conqueraris, atque errorem tuum confitearis; tandem exorari patitur, plus præſtat, quam quod mereris. Hoc ipſum de miſericordia Dei dicendum eſt, qui per juſtitiam id facit, quod faciunt homines, ut ſuo indulgeant dolori. Ægrotas, & quin ſtatim ad eum tuas preces effundas cætera quæcumque remedia tentas; eaque ubi irrita, & inutilia perſpicis, morbumque tuum diuturnum fore cognoſcis, tandem ad illum te convertis, qui ſi abjicit preces tuas, de quonam tibi conquerendum eſt, niſi de teipſo, & de contemptu, quo illum affeciſti? ſi dixerit tibi: *ubi ſunt Dii, quos feciſti tibi?* Jer. 2. *Deſumptum ex Auctore Anonymo*.

Quot videmus, qui fortunæ vota ſua nuncupantes, eique preces ſuas effundentes, poſtquam agnoſcunt eamdem cæcam eſſe, ac pro libidine bona elargiri, ad Deum confugiunt, & ideo ſolum confugiunt, quod alia quacumque ſpe deſtituuntur? Quot, ubi ſpem omnem in auctoritate ſua, bonis, & amicis collocarunt, videntes demum omnia in irritum cedere, potentes quidem ingratos, amicos perfidos, bona fluxa, exiſtimationem inanem, & fragilem, ſeſe offerunt Deo, cui non offerrent, ſi hæc Idola ſibi auxilium præſtare poſſent? Quot videmus, qui poſtquam ſollicitationes, aſſiduitates, dolos, verſutias, Chyrographorum adulterationes, omniaque impenderunt ut injuſta lis ſibi adjudicaretur, oculos tandem in Cœlum attollunt, inde auxilium recepturi, quod ab hominibus non ulterius expectant. *Sermones morales; ſermone de Providentia*.

In omnibus præter Deum confidimus.

O humanæ mentis perverſitatem! quidam S. Pater exclamat, in illis, quæ hujus mundi ſunt, confidentiam ſtatuimus, in Deo vero nequaquam confidimus; ſpem collocamus in his, quæ non merentur, & ſperare nolumus in unum illum, in quem tot ob cauſas ſperandum eſt. Si enim in terram confidimus, quæ ingrata, ac ſterilis eſt: in mare, ac tempeſtates, quæ adeo funeſtæ ſunt, ac tot pariunt naufragia; ſi in homines, qui infideles ſunt, fortunam quæ eſt mobilis, principum virorum favorem, qui fragilis, ingeniumque noſtrum, quod fluctuans eſt, & ſæpe fallitur; nonne deplorabilis cæcitas eſt, non confidere in illum, qui terræ ubertatem impertit: qui imperat mari, qui proſperæ, adverſæque fortunæ ſolus arbiter, & Dominus eſt? *De S. Martino ſermone in quartam Quadrageſimæ Dominicam*.

Ideo pleraque conſilia noſtra e voto non cedunt, quia in Deum non confidimus, & in mortales tantum ſperamus. Alibi inquirenda non eſt cauſa plurimorum malorum, quæ nobis accidunt. Deus nobis manum non tendit, quia non confidimus in illum: jam actum cenſemus, ubi nulla humana ſpes nobis reliqua eſt; & ideo permittit Deus, ut nobis mortalia deſint ſubſidia, &, uti olim S. Petrus, demergamur in mari. Si adfuerit confidentia in Deum, mare ipſum ſolidum ſubſternetur pedibus noſtris; ea vero ſi defuerit, ſolidiſſima etiam fulchra ſub nobis corruent; ſoliditas enim non eſt in terra, ſed in poteſtate Dei illam ſolidam efficientis, & hæc eadem poteſtas æque efficere poteſt ſolidas aquas, ac terram; dummodo ille jubeat nos ſuper illam incedere. *Deſumptum ex libro cui titulus; Eſſais de Morale*.

Hominum hac in re, imbecillitas.

Hæc mentis imbecillitas & levitas quamplurimis communis eſt, qui Dei opem experti pluribus in periculis, animos deſpondent, omnemque confidentiam amittunt, quodcumque, licet leve, malum ſibi accidat. Hujuſmodi erant Iſraelitæ in deſerto, qui contra Deum obmurmuraſſe feruntur dicentes, numquid poterit menſam præparare in deſerto? dubitant de poteſtate Dei obliti jam tranſitus maris rubri, aliorumque miraculorum, quæ in eorum gratia ille patraverat. Hujuſmodi erant etiam Apoſtoli, cum filio Dei dixerunt ducentos argenteos nequaquam ſatis futuros ad emendum panem, quos veſceretur ingens illa populi multitudo, quæ ipſum in deſertum ſecuta fuerat: poſtquam enim toties illis probaſſet, poteſtatem, atque divinitatem ſuam eorum miraculorum copia, quæ illis inſpectantibus fuerat operatus; cur eo ſocio, & comite erat metuendum? Nonne credendum erat, futurum ut ille noſſet, quomodo illorum victus conſuleret? immo poſtquam oculis ſuis recens aſpexerunt miraculum, quo quinque panes fuerant multiplicati, quomodonam, cum naviculam conſcendiſſent eo comite propter obortam tempeſtatem naufragium ſe pati poſſe timuerunt, quaſi minus illis in mari, quam in terra poſſet opem afferre? In hac ipſa cæcitate verſantur adhuc plerique fidelium, qui comparari poſſunt principibus exercitus Syri, de quo ſermo eſt tertio Regum libro, qui bellum Achab Regis Iſraelitarum indixerant. Cum enim vidiſſent innumerabilem exercitum ſuum exiguo Iſraelitarum numero internecione deletum, putarunt victoriæ hujus honorem non Iſraelitis, quæ res ſummum ipſis pudorem injeciſſet; ſed montium Diis eſſe tribuendum. Quam ob rem anno inſequenti decreverunt non amplius in montibus, ſed in vallibus manus conſerere, rati, ſe victoriam relaturos, niſi hoſtibus montium Dii tuliſſent auxilium. Hoc profecto eſt de ſanæ mentis uſu eſſe dejectum, arbitrari divinam poteſtatem pro diverſis locorum ſpatiis, vel augeri, vel imminui. *Deſumptum ex Homiliis Moralibus; homilia pro quarta poſt Epiphaniam Dominica*.

In uno ideo fidendum.

In quonam homo confidere debet, niſi in eum, qui per antonomaſiam fidelis vocatur, & cujus fidelitas ſemper eam ſuperavit confidentiam, quam amici ipſius in illo conſtituerunt: Sapiens, inquit Eccleſiaſticus c. 33. credit verbo Dei, & verbum illi fidele. Sapiens nequaquam confidere debet in hujus terræ principibus. Hac de re, Dei nomine, Regius Propheta nos admonet; quia in illis nulla ſecuritas eſt, neque tanta potentia, ut nos tueantur. Sapiens in reliquis hominibus non confidit; hi enim, ut ait Scriptura, vanitas ſunt, & mendacium. Sapiens non confidit neque in fortitudine ſua, quæ infirmitas eſt, neque in prudentia ſua, quæ dementia eſt, neque in opibus, quæ lutum, & ſordes, neque in exiſtimationem, quæ fumus. Sapiens igitur in Deo uno confidet; nam veritas ipſa teſtatur, omnium ſæculorum decurſu neminem illo-

illorum, qui ſperaverunt in illum, deceptum fuiſſe; æque brachium illius potentia, atque cor bonitate repletum eſſe, ut noſtris neceſſitatibus opituletur. *Domus Iſrael ſperavit in Domino* (ita loquitur David,) & ipſe *adjutor eorum, & protector eorum eſt. Domus Aaron ſperavit in Domino: Adjutor eorum, & protector eorum eſt. Qui timent Dominum ſperaverunt in Domino: Adjutor eorum, & protector eorum eſt*. Ut verbo me expediam, percurre, inquit Eccleſiaſticus, quidquid ſub ſole eſt, & vide, utrum inter tot populos, variaſque gentes, quæ ſunt ſuper terram, vel unus extiterit, qui fuerit confuſus eo quod confidentiam ſuam in Deo conſtituerit. *Pater Poire libro de Scientia Sanctorum tract. 3. part. 2. cap. 11.*

Credet fortaſſe quiſpiam Sanctos dumtaxat, & amicos Dei tuto poſſe in bonitatem ejus confidere, quia fideliter illi ſervierunt; quia hac in re nihil a conſcientia ſua ſibi exprobrari ſentiunt, & quia cor ipſorum fidele hoc ſibi perhibet teſtimonium, ſe poſſe ſine metu coram divina majeſtate prodire. Hoc ſane propugnaculum eſt, quo ſe tuetur diffidentia, ſed illud evertere, & expugnare, operoſum non eſt. Namque ex vobis quæro utrum, inter tot gentes, quæ ſunt ſuper terram, vel unus homo fruſtratus fuerit votis ſuis, poſtquam in Deo ſpem ſuam collocaverit; & utrum inter tot gentes vel unus homo fuerit inventus, qui minime fuerit Sanctus & Amicus Dei? Fierine poteſt, ut illi omnes, qui ab initio ſæculorum ad hæc uſque tempora in Deum confiderunt, inde ſperaverint, ſe voti damnatum iri a Deo, quod teſtimonium ipſis perhiberet conſcientia, ſe Sanctos eſſe, & amicos Dei? Hæc proculdubio non erat Manaſſis ſententia; Verum, qui ita loquitur, Sanctos male novit, putans ipſos ſuæ ſanctitati innixos in Deum confidentiam omnem tranſtuliſſe; Sancti numquam hanc præſumptionem habuiſſent, ut ſe Sanctos putarent; & Sanctorum immo proprium eſt longe aliud de ſeipſis ſentire, quoniam ſe tamquam abjectiſſimum aliquid exiſtimant, & per humilitatem ſe indignos arbitrantur, qui cœli lumen adſpiciant, *Idem*.

Nulla res Deo majorem adfert honorem, quam confidentia.

Si nihil majorem Deo adfert honorem, quam ſublimes illi conceptus, quos de eodem fovemus, profecto confidentia adeo elatas nobis adſtruit ideas de illius poteſtate, ſapientia, fidelitate; ut majores concipere minime poſſimus. Fingite, ſi vobis lubet, videre Sanctum Job, illud patientiæ miraculum in ſterquilinio tamquam in cathedra ſedentem, & in ea malorum, quibus obruit caterva, in medio noctis obſcuræ, inter cujus tenebras nihil aliud videt, niſi horroris, & deſperationis argumenta; nihilominus elata voce clamantem: *etiam ſi occiderit me, in ipſo ſperabo*, ſi mihi vitam abſtulerit, non divellet tamen de corde meo confidentiam. Nonne hæc ſolemnis confeſſio eſt, mereri Deum, ut rerum omnium potius jactura ſubeatur, quam deſit in minimo verborum illius confidentia? *Idem*.

Quiſnam referre poteſt elogia, quibus omnes Sancti admirabilem hanc virtutem proſequuntur? confidentia, quidam inquiunt, victrix eſt virtus, obtinens quodcumque cupit, & petit. Sanctus Bernardus, qui pretium illius agnoſcebat, ait, propter illam Deum populo ſuo pollicitum fuiſſe; *omnis locus, quem calcaverit pes veſter, veſter erit*. Sanctus Jacobus Apoſtolus addit, ad quamcumque gratiam obtinendam ſatis eſſe, eamdem non hæſitanter expetere. Hic theſaurus eſt, inquiunt alii, cujus pretium numquam intelligitur, niſi Deus nobis oculos aperuerit, ut illud intelligamus. Præſertim obteſtor vos, fratres, ajebat Sanctus Paulus, ne pro qualibet re confidentiam amittatis. Hoc erat admirabile documentum, quod Salvator diſcipulis ſuis tradebat dicens: *Quando miſi vos ſine ſacculo, & pera, & calceamentis, numquid aliquid defuit vobis?* Hic denique fidelis dux eſt, inquit Regius Propheta, tuto per omnia hujus miſerrimæ vitæ pericula deducens: *deduxiſti me, quia factus es ſpes mea*. Pſalm. 60. *Idem*.

Noſtra confidentia eo gratior Deo, quominus terrenis innititur opibus.

Neſcio utrum umquam animadvertiſtis, in Scripturis ſæpe haberi ſermonem de Egeno, Orphano, Vidua; vos enim ipſi fatebimini, in hos tantum omnes Cœli benedictiones effundi, illoſque Deo eo chariores eſſe, quo magis ab hominibus derelicti ſunt. *Iſte pauper clamavit, & Dominus exaudivit eum*. Pſalm. 33. Animadvertite, hunc a Regio Propheta, non alio appellari nomine, quam pauperis: *iſte pauper clamavit*. At quis non videt, illum Cœlo eo notiorem eſſe, quo magis in terra ignoratur? Alio in loco aſſerit, Deum eſſe refugium pupilli; pupillum extenſis brachiis a Deo recipi; Deum Viduæ, ejuſque filiis maximas quaslibet benedictiones elargiri, & ſufficere, ſi qui caret defenſione, & præſidio ad illum optans confugere, dixerit ſe unicum eſſe, *Unicum ſum ego*. Pſalm. 24. Hoc eſt ab omnibus derelictus. Hinc diſcimus confidentiam eo majorem, puriorem, & Deo gratiorem eſſe, quo minus præſidii extra illum nanciſcitur, & certiorem viam, ut divinæ Majeſtati accepti ſimus hanc eſſe, ſi a mortalibus omnibus derelicti omnem confidentiam in uno illo conſtituamus. *Idem*.

Inter alia diſcrimina inter confidentiam quæ in Deo, & eam quæ in rebus creatis ſtatuitur, hoc non extremum eſt, quod quæ in creatis rebus collocatur, conjuncta eſt cum aſſiduo timore, ne ſpes noſtræ in irritum abeant propter infirmitatem, inconſtantiam, & infidelitatem, quam in Mundo quotidie invenimus. Videmur nobis ſingulis momentis nuncium audire, quo res noſtras in deſperatis eſſe admoneamur, donec aliquando eum tamdem intueamur effectum, quem impatienter præſtolamur. Nihil vero e contra magis hominem intrepidum efficit in iis, quæ aggreditur, quam confidentia in Deum. Diceres hanc in manu illius coram Dei omnipotentiam collocare, ejuſque ſtipendia creaturas omnes mereri, ut illi omnia cedant ex ſententia, eo uſque ut in gratiam ipſius naturalibus etiam rerum omnium ſtudiis vis inferri videatur. Hæc rupes mollit, aquas indurat, calidaſque facit; hæc ſolem moratur; hæc montes loco cedere cogit; hæc terræ, aeri, ventis, tempeſtatibus imperat, hæc naturam omnem ſibi ſubjicit. *P. du Sault tractatu de Confidentia in Deum l. 1.*

Confidentiam in Deo ſtatuentes humana ſubſidia abjicere non debemus.

Mihi de confidentia loquenti non ea mens eſt, ut humanam prudentiam a negotiorum noſtrorum cura exulare velim, & fovere hominum ignaviam & negligentiam ſub hac ſpecie in Deum confidendi. Non vult Deus inutilia efficere ea lumina, quæ nobis conceſſit, noſtri curam gerendo; ſed illa infirma, atque imbecillia reliquit, ut in omnibus operibus noſtris ad ipſum confugere teneremur. Quam timidæ ſunt, atque mutantes hominum cogitationes, quam breves, & parum tutę pręviſiones noſtræ! Illud autem deplorabile eſt, quod humanæ prudentiæ ſatis non ſit, ſuum obtinere locum in Conſiliis noſtris; ſed ſibi omnem eorum rationem vindicet; quin ullum locum tribuat confidentiæ. Hinc homines terrena quærunt auxilia, perinde ac aliunde opem non poſſent recipere. O creaturam ingratam, Salvianus exclamat, putaſne Deum indeſinenter tuo adeſſe lateri, ut in neceſſitatibus tuis te derelinquat? nonne hic ille eſt, qui Cœlum, terraſque replet, ne abſit ab illis, qui ſuam opem depoſcunt? Ad quem igitur fidentius confugere poſſumus, quam ad ſummam hanc bonitatem, quæ nos tenet in manibus ſuis, & quæ jugiter nobis dat & vivere, & eſſe, & moveri? *Idem*.

Quamquam Deus ſæpe amicis ſuis pollicitus fuerit, ſe effecturum, ut ipſi de hoſtibus cumulatiſſimam victoriam referrent; voluit tamen ſemper, ut partem laboris aſſumerent ea in re, quam ipſe erat operaturus; & cum ab opere manum amoverunt, tunc effectus etiam divinæ promiſſionis, & benedictionis fructus deſierunt. Receperat ille ſe Moyſi, & Joſue, adfuturum, illis præliantibus ſuppetias allaturum, terroremque, & confuſionem hoſtibus incuſſurum: veruntamen egregii illi Duces nihil intentatum reliquerunt, ut res e voto cederet; ſumma vigilantia exercitibus præfuerunt, bellicis etiam ſtratagematibus uſi ſunt, ut eos opprimerent, quos Deus in manibus eorum ſe traditurum ſpoponderat, Gladius Domini, & Gedeonis hæc miracula operantur, clamarunt Jud. 7. milites exercitus Domini de Madianitis triumphum agentes, & 2. Paral. cap. 14. mentio fit mirabilis victoriæ de Æthiopibus, aliiſque barbaris populis relatæ, ubi Deus adſpectui Regis Aſa tantum terrorem addit, ut hoſtibus arma de manibus laberentur, iique ſe internecione deleri, ac pedibus conculcari ſinerent, quin ferme reluctarentur. Veruntamen, ne crederetur Deus victoriam hanc perperiſſe, quin exercitus Aſa laboraret, adduntur explicite hæc verba, per manus Domini, atque Iſraelitarum cum ipſo præliantium penitus fuiſſe deletum. *Idem*.

Deus eos

Ubi ſunt Dei tui, quos feciſti tibi? ſurgant &c.

Hoc-

exprobrans, qui in creatis rebus confidunt.

Hoccine tempus eſt ad me confugiendi, cum neſcis ultra quo te vertas? Nonne Deos habes, quibus quotidie adoles thura, & juxta quorum conſilium omnia facta tua modereris? Hi ſunt Dii illi, qui in miſerrimum hunc, in quo verſaris, ſtatum te adduxerunt; hi ſunt, qui te regunt, ac protegunt; in his confidentiam tuam collocaſti: ex illis ergo opem implora, & illos deprecare, ut te de iis malis eripiant, quibus urgeris; ego enim te neſcio. Et alibi: *Ubi ſunt Dii eorum, in quibus habebant fiduciam?* Deuter. 21. Surgant, ſi poſſunt, ac celeriter laborantibus ferant auxilium. *Idem*.

Natura nos docet, ut in ſubditis, inopinatiſque caſibus ad Deum confugiamus. Ethnici ipſi, qui Idolis ita adhæſerunt, ut filios ſuos eiſdem in ſacrificium efferrent (adeo temporalium proſperitatum illecebræ eo excæcaverant) illi ipſi deorum ſuorum non recordabantur amplius, ubi fulmina ſævire, aquarum illuſionem ingruere, luem graſſari, aliaque percrebreſcere mala videbant. Hæc formoſa idola, quibus toties vota nuncupaverant, quibus toties adoleverant thura, & quæ floreis ſertis fuerunt redimita, tunc temporis nulla victima, nullo thure colebantur, eorumque cultores tot ingruentibus malis oppreſſi ad Cœli, terræque Deum confugiebant, non alia agnoſcebant numina, & obliviſcebantur etiam nomina eorum, quæ antea, Lactantio teſte in lib. de origine erroris, enixius fuerant venerati. Neſciebant amplius, quid Jupiter eſſet, quid Mars, quid Mercurius: ſed relictis inanibus hiſce numinibus, manus, oculoſque in Cœlum attollebant, & illius tantum implorabant opem qui ſuis graviſſimis timoribus ſolatium, auxiliumque poſſet afferre. Dubitare itaque minime poſſumus, naturam, ubi per ſe operatur, ad ſuum Auctorem, Creatoremque confugere, ac nos impellere, ut inter brachia illius noſmet recipiamus, motu quodam neceſſario, quem diſſimulare non poſſumus. *Idem lib. 2.*

Niſi inopinati caſus adſint raro ad Deum confugimus.

O humanæ mentis cæcitatem! quot in mundo vivunt, qui Cœlum numquam ſuſpiciunt, niſi cum illis deficit tellus, & qui numquam ad Creatoris omnipotentiam adverterent animum, niſi creaturarum imbecillitate cogerentur? Vere dicere poſſumus, quemadmodum omnia mortalium genera ad Deum feſtinanter confugiunt, ut in ſubitis terroribus opem aliquam nanciſcantur, vel ſolatium aliquod iis malis, quibus opprimuntur, inveniant; neminem e contra reperiri, qui, ſi hujuſmodi caſus abſint, illius præſidium imploret; quaſi alibi ſatis virium, & opis obtinere poſſent, quin de Cœlo auxilium oppeterentur. Hoc ſatis intelligi nequaquam poteſt, animas tot Cœleſtibus gratiis cumulatas tanta cura, & benevolentia enutritas, Dei ſanguine ablutas, ejuſque proprio corpore ſaginatas, quæ ſciunt ſupremam non deeſſe Sapientiam, qua gubernantur, minime poſſe in illius providentia confidere, neque ad illam confugere, niſi cum aliunde opem ſperare non poſſunt. *Idem*.

Nonne hoc mirum, miſerrimumque ſimul eſt opus eſſe, ut Deus nos ad extremam redigat neceſſitatem, ſi nos cogere velit, ut ad eum confugiamus? opus eſſe, ut omnia conſilia noſtra perturbet, nullamque ſpem nobis relinquat, ut ad pedes ipſius provoluti, petamus opem? Confunde eos Domine, aiebat Regius Propheta; cooperi faciem eorum opprobrio, & ignominia, ac ſtatim invocabunt nomen tuum. Nequaquam, Domine, impoſterum hoc minime fiet; confidant alii, ſi velint, in amicis ſuis, in auctoritate, ſcientia, theſauris, exercitibus; creatarum quarumcumque rerum auxilium depoſcant, ut potentiores efficiantur; de te vero non cogitent, niſi cum alia quacumque ſpe fuerint deſtituti; ego quidem certus ſum, in uno te omnem ſpem meam collocaturum. Non expectabo graviſſimas quaslibet neceſſitates, ut confugiam ad te; ſed bonitas tua aſilum erit omnium dierum, omnium locorum, occaſionum omnium; ſub tuam clientelam confugiam, auxilium tuum depoſcam, & non aliunde niſi ab uno te ſubſidium præſtolabor. *Idem*.

Deus neque in proſperis neque in adverſis nos derelinquit.

Nequaquam dixeris, nos in rebus proſperis a Deo derelinqui, ubi per illas ea laxatur confidentia, quam in infinita ejuſdem bonitate conſtitueremus. Quot recenſeri poſſunt omnium temporum viri, qui cum rore Cœli, & ſpiritualibus conſolationibus adipem quoque terræ, ac temporalia bona meſſuerunt? Audeo dicere eamdem proſperitatem erga ipſos eſſe divinæ miſericordiæ effectum, quandoquidem Deus pollicitus fuit ſervis ſuis ſe affluenter benedictiones ſuper eorum perſonas, agros, bona, Filios, univerſamque familiam effuſurum. Omnium generum benedictiones deſcendent ſuper nos, inquiunt illi Deuter. 28. ac nos undique circumdabunt, ſi Deo fideles erimus. Benedicti erimus in Urbe; benedicti in agro; Labor noſter, & requies; negotia, & quidquid noſtrum eſt, erunt benedicta; & viciſſim indeſinenter Domino noſtri amantiſſimo, & clementiſſimo benedicemus. *Idem*.

Omnia mortalium bona in Scripturis illuſio, & *faſcinatio nugacitatis* vocantur, & ipſi etiam homines quantumvis ſapientiſſimi, & potentiſſimi, non aliud quam vanitas ſunt: *univerſa vanitas omnis homo vivens*. Pſalm. 38. Quibus addit Sanctus Paulus, hujus mundi figuram præterire, atque evaneſcere: unde arguit, nequaquam confidendum eſſe in iis, quæ videmus, quippe quæ fluxa, & fragilia ſunt, & jugi defectu ad finem ſuum properantia. Impii quoque, ac reprobi hoc in inferno fatentur, ſuamque reputantes imprudentiam, qua bonis hujuſmodi tamquam in æternum permanſuris adhæſerunt, magis torquentur exclamantes, voluptates ſuas tamquam umbram evanuiſſe: *Tranſierunt omnia illa tamquam umbra*. Sapient. 5. Sed impii adhuc in terris viventes hoc inficiari non poſſunt, ubi quotidiana docti experientia norunt rerum omnium, in quibus ſuum præſidium conſtituerant, inconſtantiam, infidelitatem, & fragilitatem. Illud vero magis deplorandum eſt, quod pertinaciam relinquere nequeunt, neque ſuum errorem abjicere; facere enim non poſſunt, quominus in mundanis rebus fluxis fragilibuſque confidant, potius quam in Deo, de cujus fidelitate ambigere nequeunt. *Idem*.

Quodnam peccatum ſit in Deo non confidere.

Si ex me quæris, quid mali ſit, vel quod peccatum ab iis admittatur, qui in alium quemlibet, præter Deum, confidunt; quin ea recenſeam mala quæ ſibi conflant, & infelices eorum negotiorum eventus, quæ ſine Dei ope ſuſcipiuntur: inquio, maximam Deo inferri contumeliam, non enim apertius ſignificari poteſt exiguo in pretio haberi auxilium illud, quod nobis ſe allaturum ſpopondit, & exiſtimari tutius rem perfici poſſe conſanguineorum, amicorumque ſubſidio, quam eo, quod ille ſolemniter adeo ſpopondit: & magis in induſtria, exiſtimatione, auctoritate, verſutia humana, quam in Dei verbo ſpem collocari. Hoc idem eſt, ac credere nos validius confracto calamo, & fluentibus aquis inniti, quam illi omnipotenti dexteræ, quæ univerſa creavit, eaque ſua virtute gubernat: idem eſſe, ac nobiſmet perſuadere nullum opus eſſe illius præſidii, & auxilii, quandoquidem hoc invenimus, vel ſaltem alibi quærimus. Nonne Dei ipſius honor agitur in hac temeritate, atque inſolentia infringenda? *Idem*.

Præter mala, quibus te ſubjiciunt, qui cujuſcumque generis, peccatum admittunt; confidentiæ defectus, qui ſine peccato eſſe non poteſt, alia ſecum trahit mala in ipſa etiam temporalia negotia. Etenim opis divinæ contemptus efficit, ut alibi auxilium inveniri non poſſit, & quodcumque penitus præſidium corruat; atque illi ipſi, in quibus magis confidebant, omnium primi iiſdem terga vertant, eoſque prodant. Ad hæc amovet Deus benedictionem ſuam a bonis eorum, quibus adhærent, & in quibus ſpem omnem conſtituunt. Mulieri huic virum aufert, propter quem adeo ſuperbit; familiam hanc multa filiorum copia replet, qui omnia bona obliguriant, in illam litem ſuſcitat, quæ ejus opes abſumat; bonorum, quæ antea in domum hanc, undequaque confluere videbantur, fontem exhaurit, e contra vero efficit, ut geminentur ſumptus, labores, & neceſſitates. Hoc anno grando meſſes depopulatur, & ſiccitas agrorum fertilitatem depaſcitur, altero calamitates ſibi deinceps ſuccedunt, & prava domeſticarum rerum cura, quidquid bonorum ac redditaum ſupererat, diſperdit; & ecce repente hominem hunc qui in alia quapiam re, præterquam in Deo ſpem ſuam collocaverat, bonis omnibus carentem, omnique etiam ſpe deſtitutum! *Ecce homo, qui non poſuit Deum adjutorem ſuum*. Pſal. 5. *Idem*.

Confidentia in Deo animam facit intrepidam.

Confidentia in Deum animam replet quadam certitudine, quæ maxima inſaniſſimorum hominum temeritatem exuperare videtur; efficit enim, ut exercitus etiam magis formidabiles non aliud videantur, quam muſcarum examina, vel acies formicarum. Hoc aperte nos Eccleſiaſtica docet Hiſtoria, ubi Sanctiſſimi Antiſtis Babylæ confidentiam commendat. Cum Preſul optimus intellexiſſet Tyrannum neſcio quem cum exercitu quinquaginta millium properato agmine accedere, ut Urbem, Eccleſiamque ſuam igne, ferroque vaſtaret, poſtquam jam late finitimas regiones eſſet depopulatus, Sanctus ſenex illi audacter obvius occurrit, atque Dei nomine imperavit, ne ulterius procederet; cumque ab eo ſciſcitarentur mortales, undenam tanta ipſius profecta fuiſſet conſtantia, reſpondit, ſe, cum omnem in Deo fiduciam ſuam collocaſſet, licet ſexcenta hominium millia in aciem diſpoſita conſpexiſſet, nihil magis timoris percepturum fuiſſe, quam ſi agrum locuſtis atque formicis plenum vidiſſet. Non ignoramus alios etiam hac eadem confidentia fretos aperte fuiſſe profeſſos, licet fractus in caput ſuum laberetur orbis, vel ſub pedibus ſuis terra dehiſceret, vel montes illos ruina ſua tumulaturi deciderent, aer crebris undequaque fulgoribus, atque fulminibus coruſcaret atque omnia ſimul creata ad illorum interitum conjurarent, ſe tamen divino fretos præſidio nullo pavore iri perturbatum. *Deſumptum ex Anonymo Auctore*.

Quid agebant ſummus Sacerdos Ozias, Cives Senioreſque Betuliæ, cum pollicebantur ſe hoſtibus deditionem facturos, niſi Deus intra quintum diem ſibi fuiſſet opitulatus? Naturale humanæ patientiæ ſtudium ſequebantur. Sed quid illis caſta, fideliſque Judith ajebat? Vos, qui nos docere deberetis, & qui Seniores noſtri eſtis *poſuiſtis tempus miſerationis Domini*. Judith 8. Vos diem illi præſcripſiſtis, quo vobis ferret opem, & niſi ſtata die opem tulerit, jam actum eſſe dicitis, nullumque ſpei locum fore exiſtimatis. O Domine, illa oculos in Cœlum attollens dicebat, procul a me hujuſmodi ſenſus abſint: *tu enim feciſti priora, & illa poſt illa cogitaſti*. Quam admirabilia ſunt verba hæc! tu Domine omnia feciſti, tu omnibus providiſti, tu in ordinem collocaſti, quidquid unquam faciendum eſt, quod prius, quod poſterius agendum; *omnes viæ tuæ paratæ ſunt*: omnia judicia tua uſque ad ſæculorum conſummationem jam lata ſunt, omnia in ſinu tuæ providentiæ quieſcunt, *& tua judicia in tua providentia poſuiſti*. Illinc ea videbimus egredi; tu tempora noſti & momenta, neque noſtrum eſt illa prævertere, ac maturare, ſed ea præſtolari, ac interim voluntatem tuam adorare. *Pater de la Rue in ſermone de Providentia*.

Cum de rebus noſtris actum jam eſſe putamus, tunc magis in Deo confidere debemus.

Licet etiam circumundique mala te opprimerent, & Amici, qui maxime fideles videbantur, te in tua egeſtate dererent, redactuſque eſſes ad incitas, ita ut temporalem opem ulterius expectare non poſſes, tunc magis ſpes tua inflammari deberet: hoc enim eſt tempus auxilii, Sanctus Chryſoſtomus inquit; hoc illud gratioſum momentum eſt, quod Deus expectat, ut ſolatium tibi afferat; hic unus tibi opitulari poteſt, in hoc uno confidentiam tuam debes ſtatuere, quia cum omnia deſunt, ille tamen ſemper fidelis permanet. Hac de cauſa expectavit, donec Betuliæ fame, ac ſiti maxime laboraretur, mulieris miniſterio rerum affluentiam, ac vilitatem reſtituturus; donec David de Regiis ſedibus ejectus, erro, & profugus in Regno ſuo torrentem Cedron traduceret in eo miſerrimo ſtatu, qui in Scripturis deſcribitur, eumdem ratione magis admirabili, & prorſus divina in Judæ ſolium revocaturus: ut mortales hæc inſpectantes miracula exclamare tenerentur, ea Domini, non hominis manu fuiſſe patrata. *Eſſais de Sermons pro quarta Quadrageſimæ Dominica*.

Ubi certum cepimus conſilium relinquendi peccatum, ac Deo deſerviendi, tunc conſtans in Deo confidentia habenda eſt, eique ea dirigenda oratio, qua uſa eſt Judith, ut ipſam confirmaret, caput Holofernis obtruncatura, *confirma me Domine in hac hora*, Judith cap. 3. qua agitur de gloria tua, & requie populi tui. Nos quoque Deo illum immolaturi affectum, quo prohibemur, ne eidem ſerviamus, dicamus ſimiliter; *confirma me domine Deus*; acceſſit jam pro me hæc hora ſalutis, quia tibi Victimam, quam toties popoſciſti, & quam hactenus mactare detrectavi, ſum immolaturus. Me mei pudet, cum adeo infirmus ſim contra eum, qui & tuus, & meus eſt inimicus; *confirma me* &c. Sæpius egregia cepi conſilia, ſæpius eadem adimplere conatus ſum; verum ubi fatale momentum adfuit, quo ictus inferendus erat, omnis me mea virtus deſtituit &c. *confirma me &c. Pater Cheminais ſermone de Affectu prædominante*.

Modica in Deo confidentia hunc a nobis repellit, & arcet.

Nulla major amico vero inferri poteſt injuria, quam in eo non confidere: quemadmodum e contra nulla re magis impelli poteſt ad opem nobis ferendam, quam ſi perfectam in eodem nos habere confidentiam teſtemur. Non ſemel Dominus Apoſtolis ſuis ſignificavit quantopere ſibi eorum diffidentia diſpliceret: *quid turbati eſtis modicæ fidei?* Luc. 24. Sed qui fidenter ad illum acceſſerunt, mali ſui ſolatium impetraturi, & voti damnati fuerunt, & iis laudibus excepti, quos illorum confidentia promerebatur: *O mulier magna fides tua*. Matth. 15. *non inveni tantam fidem in Iſrael*. Matth. 8. Eſto quidem in humanis neceſſitudinibus homines hominibus non ſatis fidant; norunt enim, quam leves ſunt, cupidi, imbecilles, & mendaces; verum cum nullus hujuſmodi defectus inveniatur in Deo, maxima illum afficimus contumelia, cum vel parum diffidimus. *Auctor Anonymus*.

Potiſſima ratio, quæ nos impellere debet, ut in Deo confidamus, eſt amor ille, quo nos ipſe proſequitur. Si cum ipſe nos oderat, tot inſignibus beneficiis prævertit, fideine conſonum eſt poſtquam nobiſcum in gratiam rediit, noſque in filios adoptavit, velle ita recedere a nobis, ut in certum interitum tradat? *Numquid obliviſci poteſt mulier infantem ſuum, ut non miſereatur filio uteri ſui? Et ſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliviſcar tui*, ait ille per Iſaiam cap. 49. Ad hæc cum nos diligit Deus, proprie non nos, ſed Unigenitum ſuum diligit in nobis, cujus nos membra ſumus. Ita de Divina erga nos bonitate diffidere, idem eſt, ac dubitare de Patris æterni erga Filium ſuum benevolentia, quem tantopere amat, & a quo tantum recipit gloriæ. Verum ut in Deum confidamus, non ſatis eſt, nobis eſſe perſuaſum de ipſius amore, & fidelitate, niſi certi etiam ſimus de ejuſdem poteſtate. Sine hac diceremus; verum quidem eſt magnam Dei eſſe bonitatem; ſed heu! conſiliis meis tot obices adverſantur, tot me circumſtant inimici, neſcio utrum illos obices auferre voluerit, & pro me quamdam miraculi ſpeciem operari. Verumtamen cogitate Deum abſolute eſſe univerſorum Dominum, nihilque iſtis accidere, quod ipſe minime aut velit, aut permittat. *Idem*.

Confidentia in Deo inter ærumnas, humanaſque perſecutiones.

Quid acerbius, quam videre omnia adverſum nos conſpirare, ac nos eſſe alienæ vel cenſuræ, vel deriſionis argumentum? quid triſtius, quam ab omnibus injuriis affici, & contumeliis, bona diripi, & ſcindi exiſtimationem noſtram? Verum poſt hæc omnia cogitate omnes has calamitates, & perſecutiones permitti, ut præbeatur nobis occaſio probandi confidentiam noſtram, atque ut Deus ſibi complaceat nos audiens ea Regii Prophetæ uſurpantes verba: *Dominus protector vitæ meæ, a quo trepidabo? ſi conſiſtant adverſum me caſtra, non timebit cor meum*. Pſalm. 26. *Idem*.

Domine, donec ſuper terram in hac regione tenebrarum verſor, paveo, & contremiſco. Ubi reputo innumerabilem periculorum, quæ mihi imminent, hoſtium, qui me perſequuntur, calamitatum quibus circumſeptus ſum, multitudinem, niſi in tuo præſidio confiderem, omnem prorſus ſpem abjicerem. Sed infinitarum miſerationum tuarum memoria, & beneficia, quibus ante ipſam nativitatem meam me cumulaſti, mihi animum faciunt. O Domine, quam bonus, & ſuavis es! Favores eximii, quos quotidie effundis in me, mihi pollicentur ea præſtantiſſima dona, quæ tuis amicis reſervas, meam confidentiam excitant, mihique locum tribuunt gaudendi in te ſuaviſſimis animæ meæ deliciis. *Idem*.

JESUS CHRISTUS, cum tempeſtates deſævirent, mari ſolum, ac ventis imperavit, ut quieſcerent, ac ſtatim procellæ ac fluctus dicto paruerunt. Cur igitur verbo illius animæ noſtræ tumultus, inquietudines, laboreſque perfecta in ipſum confidentia non diſſipat? qui in hoc ſtatu verſantur, minime credunt, ſibi ea dici verba. Joann. 14. *non turbetur cor veſtrum*. Quod ſi cordis ſui agitatio, atque tumultus ipſis relinquit adhuc cupiditatem aliquam ex tua infelicitate emergendi, conſiderandum eſt, nullam eſſe turbam, tumultum nullum, quem JESUS CHRISTUS pavere nolit, & nequeat, quandoquidem ipſe ſuprema pax eſt. *Auctor Anonymus*.

Omnia, quæ nobis improſpere accidunt, confidentiæ defectus ſunt referenda.

Quotieſcumque in negotiis vota, & ſpes noſtræ falluntur, noſmetipſos parumper colligamus, neque infelicis eventus aliam inquiramus cauſam, quam noſtræ in Deum confidentiæ defectum. Cum poſt multos exantlatos labores, erogatoſque ſumptus litem amittimus, non Judicum corruptelæ, non

BIBLIOTECA CENTRAL

non adverſariorum calliditati vitio vertendum hoc eſt; cum legitima hæreditate fraudamur teſtamento, mala defuncti voluntas inſimulanda non eſt; cum præcipuas ambimus dignitates, repulſam paſſi non eſt, cur Principibus aut Miniſtris iraſcamur, ſed nobiſmetipſis. Credidimus, nos induſtria noſtra votorum ſummam aſſequi poſſe, quin confideremus in Deum, opemque illius depoſceremus; Deus conſiliis noſtris non arriſit, ne aliam rationem inquiramus. *Deſumptum ex libro cui titulus, Eſſais d' Eloquence Abbatis d' Aubignoit.*

Deus in ſe confidentes non deſerit.

Qui timidi eſtis modicæ fidei? Vos immo Deum invocare plena confidentia debetis, ſcientes illum, qui ventis, ac tempeſtatibus imperat, qui proceloſo mari malaciam reddit, cui univerſa omnino, ac ſtatim obtemperat natura, diſſipaturum eſſe nubeculam quæ vobis terrorem incuſſit; ipſum nequaquam ignorare, quo in ſtatu ſint negotia veſtra; non eum fallere mala quibus obruti eſtis, ipſumque indeſinenter incumbere, ut ſperantium in ſe, ſibique inſervientium neceſſitatibus opituletur: *ecce non dormitabit, neque dormiet, qui cuſtodit Iſrael*, Pſalm. 120. Animarum, immo etiam corporum noſtrorum cuſtodia ipſi cordi eſt; vigilat, cum illum alto demerſum ſomno exiſtimamus; aures, oculique ipſius ſemper patent, ut opem ferant illis, quorum cura ſibi ab æterno Patre credita fuit. Fructum percipiamus ex ea perturbatione, in qua JESU CHRISTI diſcipulos hodie intuemur; nutans eorum fides fidem noſtram confirmet; eorum confidentia labefactata noſtræ recentem vim atque conſtantiam adjiciat. *Abbas Trappenſis, collatione pro quarta poſt Epiphaniam Dominica.*

Cum olim amicis ſuis imperabat Deus, ne timerent, non aliam adferebat cauſam, niſi ſe cum illis adeſſe; *noli timere; quia tecum ego ſum*. Geneſ. 26. Cœli, terræque Creator, ego bonorum omnium origo, ego tecum ſum, & donec in me confidentiam habueris, numquam te deſeram. Aliquidne audiri poteſt quod majus ſolatium afferat, quam hæc verba? quanta fuit Jacob conſolatio, cum a Deo in Ægyptum miſſus fuit cum hac promiſſione: *ego deſcendam illuc tecum in Ægyptum?* Ne verearis in Ægyptum deſcendere, ego enim tibi comes adero, & me comite, quid ultra concupiſcere potes? quid! Rex hujus terræ, S. Auguſtinus in Pſalm. 26. ait, in ædibus ſuis tutus eſt, undequaque militibus circumſeptus excubias ad eum tuendum agentibus. Mortalis homo eſt ab hominibus æque mortalibus defenſus, tamen non metuit, non expaveſcit: homo vero mortalis ab immortali, & omnipotente Deo defenſus trepidabit, & quieſcere non poterit? O miram cæcitatem! *protegitur Imperator ſcutatis, & non timet; protegitur mortalis a mortalibus, & ſecurus eſt; protegitur mortalis ab immortali, & timebit, & trepidabit? Pater de Sault.*

O nos miſeros, Tertullianus inquit, ſi æternæ veritatis promiſſionibus nequaquam confidimus! tempus aderit, o peccatores, cum veſtram calamitatem ſentietis, ſed heu nimis ſero! Cum morituri, omnibus hiſce rebus, in quibus confidentiam veſtram conſtitueritis, extremum vale vobis erit dicendum. Tunc ad Deum confugietis, cujus juſtitiam provocaſtis: illius clementiam implorabitis, ſexcentoſque ſpei, & amoris actus elicietis; ſed Deus vos ad creaturas remittet funeſta ſpei veſtræ objecta. Ubi ſunt Dii, in quibus habuiſtis fiduciam? veniant modo, & vobis opitulentur; opes iſtæ, quas tamquam verum Deum colitis, vobis in extremis laborantibus opem ferant; iniquitates, quas tanta cum voluptate patraſtis, vos hodie eripiant; amici, quos tamquam fortunæ veſtræ columen reſpexiſtis, ſolatium vobis afferant. *Auctor Anonymus.*

Noſtra in Deum confidentia illius præſidium meretur.

Vultiſne, o fideles, Dei protectionem ab omnibus adverſæ fortunæ caſibus vos tueri? vultiſne in voſmetipſos, familiaſque veſtras eas detrahere benedictiones, quæ ſunt neceſſariæ ut felicem tranquillamque vitam vivatis non ea in conditione, in qua vos divina providentia conſtituit? In Deum confidite, & experiemini, quam bonus ſit Deus Iſrael iis, qui recto ſunt corde. Si quando juſtum tentari permittit, numquam tamen eum relinqui ſinit; neque ſinet unquam, filios ſuos objici turpiſſimæ paupertatis infelicitati. Sine hac protectione curæ veſtræ, quæcumque illæ ſint, inutiles erunt. Niſi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui ædificant eam: vanum eſt vobis ante lucem ſurgere; ut infatigabiles ſollicitæ, moleſtæque vitæ laboribus bona cumuletis; niſi in Domino fiduciam veſtram conſtitueritis, univerſum fortunæ veſtræ ædificium funditus corruet. *Auctor Anonymus.*

Cur Deus ita confidentiam remuneratur, niſi quod a fide ſejuncta eſſe non poteſt? ſi veram haberes fidem in Deum, ſi vere crederes, ipſum ſcire omnia, poſſe omnia, & omnia gubernare, in ipſum ſemper confideres. E contra vero ſi hanc certam, conſtantemque fidem, vel amittis, vel aliquando deſeris; illico decides in diffidentiam. Dei Filius Apoſtolis ſuis, qui confidentiam in ipſum amiſerant, cum ſæva procella in mari detonuit, hæc dixit: *quid timidi eſtis modicæ fidei?* Timidi ſunt, diffidunt, quia modicam habent fidem. *Liber cui titulus, Inſtructions Chretiennes. Inſtruct. pro decima octava poſt Pentecoſten Dominica.*

Confidentia in Deo ſemper eſt cum humilitate conjuncta.

Hæc eſt Sancti Chryſoſtomi ſententia quærentis, quænam ſit cauſa timoris, qui in infidelibus invenitur, & ſuperbiam eſſe reſpondentis; hæc enim efficit, ut ſpem noſtram in nobiſmetipſis, non autem in Deo, collocemus. Deinde vero intelligentibus nobis exiguas vires, quæ ad nos regendos ſatis non ſunt, timor incedit, quippe qui illud deficere fundamentum videmus, cui cupiebamus inniti. Itaque cum ſuperbia plerumque ſit audaciæ cauſa in iis, qui mundum ſectantur; humilitas e contra in fidelibus principium eſt confidentiæ. Hæc efficit, ut neque nobiſmetipſis, neque mortalibus innitamur; hoc enim idem eſt, ac inniti calamo fracto, ut ait Scriptura, qui in manu incumbentis conteritur: ſed innitamur illi, a quo cœlum, ac terra ſuſtinentur. Quamobrem ſi humilitas nobis non deerit, neque deerit confidentia; quæ ſi adfuerit, fortes erimus, invictique; namque, ut egregie S. Leo inquit, *omnia poſſumus in eo, ſine quo nihil poſſumus. Idem.*

Licet in nobis nihil eſſet aliud, quam creationis opus, neque Deum conſideraremus, niſi tamquam animarum, corporumque noſtrorum Creatorem, hoc jam ſatis magnum eſſet confidentiæ argumentum. Etenim fieri non poteſt, Sanctus Auguſtinus in Pſalm. 4. inquit, ut creatura magnam non habeat in Factore ſuo confidentiam; præſertim vero ſi agnoverit, ſe non communi ratione ab eo factam fuiſſe; *non parvæ fiduciæ eſt ad Factorem ſuum res facta, & non quomodocumque facta, ſed ad imaginem Dei facta.* Quod ſi prime huic creationi addiderimus, nos ab ipſo factos eſſe *novam Creaturam* illam, de qua loquitur S. Paulus 2. ad Cor. 5. hoc multo magis confidentiam noſtram debet augere. Ita contra cogitationes diffidentiæ, atque timoris, quas Dæmon nobis nonnumquam conatur immittere, nobiſmetipſis dicamus: qui incæpit opus meæ ſalutis, in me illud perficiet. *Hoc juſtum eſt ſentire*, ad Epheſ. 2. At enim infirmus ſum, & imbecillis: verum eſt; verumtamen quemadmodum incepit Deus per meram bonam voluntatem ſuam, per eamdem quoque perficiet. Novit ille, te opus perficere non poſſe, quemadmodum illud incipere minime poteras. Si tabula loqui poſſet, in ſe operis dimidium intuita, fateretur illa, ſe nihil aliud eſſe niſi rudem formam, atque imperfectam; ſed ſimul diceret; ego me ipſam non feci; quidquid videtur in me, meum non eſt; omnia debentur pictoris induſtriæ, qui ſuum opus incepit in me, & ſpero futurum, ut illud perficiat. *Idem.*

Omnem confidentiam in Deo collocare debemus.

In Deo omnem fiduciam noſtram collocare debemus, S. Auguſtinus ait; ipſe ea omnia fecit, in quibus confidimus: ipſe melior eſt, quam terrena omnia; ipſe major eſt ipſa magnitudine; ipſe nobis erit pro rebus omnibus, quas diligimus. Si ſpem noſtram in hominibus collocaverimus, pergit idem, titubans erit, ut ipſi mortales, & decidet cum ipſis; at ſi in Domino illam conſtituemus, nulli obnoxii erimus imbecillitati. Sperent alii, quomodocumque ipſis placuerit, in iis bonis, quorum eſt incerta poſſeſſio; confidant in amicorum ſuorum fidelitate, vel Principum gratia: ego vero dicam; *Domine tu es ſpes mea*. Pſalm. 90. Spem hanc nequaquam confundere, Apoſtolus docet; quia, ut idem Sanctus ait, ille, in quem ſtatuimus eam, fallere nequaquam poteſt. Sed ſpes, quam in creatis quibuſcumque rebus collocamus, confundit; quia illis etiam, quibus maxime favet, dubium, incertumque bonum promittit. Mortalium ſpes in Scripturis comparatur ſomniis, quibus dormientes decipimur, qui enim hæc audiunt, ſimiles ſunt pauperibus, qui cum divites ſint eo tantum tempore, quo dormiunt, divitias omnes amittunt, ubi expergiſcuntur: ſpes eorum ipſos decepit, mendacio enim innixa eſt. *Hæc omnia ex S. Aug. deprompta ſunt variis in locis.*

Fruſtra exiſtimamus conſilia noſtra ſatis validis inſiſtere fundamentis, ubi principum virorum auctoritati, amicorum favori, affinium nobilitati innitantur. Infirma, fragiliaque fundamenta, quę momento everti poſſunt; potentiori dextera ſuſtineantur, oportet, & baſis, cui incumbunt, ſolidior ſit, atque magis duratura. Hujus ſententiæ erat Propheta, cum eorum deflens cæcitatem, vel imprudentiam, qui ſua freti fortuna ſuperbiebant, ut illis oſtenderet, eorum ſpem eſſe prorſus inanem, ajebat illis, ædificate, ſuperba attollite ædificia, ad veſtra negotia toto pectore incumbite: verum ſcitote, niſi dominus manum addiderit, niſi pietas, atque deſiderium placendi Deo fuerit tamquam cæmentum inſanas veſtras ſubſtractiones confirmans, labores veſtros in irritum eſſe ceſſuros. Intelligetis aliquando, vos ſuper mobili arena ædificaſſe, atque leviſſima adverſitate perflante omnia diſſipata fuiſſe: *Niſi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui ædificant eam. Sermo manuſcriptus.*

Jubet Apoſtolus, nos de nulla re ſollicitos eſſe; verum precibus noſtris ea Deo exponere, quæ cupimus, & Dei pacem, quæ omnem ſenſum exuperat, corda noſtra, noſtraſque cogitationes in JESU CHRISTO cuſtodire. Hæc tamen ab omni ſollicitudine ſecuritas nequaquam prohibet rationabilem curam, ut ſecundum Dei ordinem, ac voluntatem pacate, atque tranquille pro virili ea faciamus, quæ cum æquitate facienda ſunt, ſemper tamen citra ſollicitudinem, & anxietatem, optimum votorum noſtrorum eventum a divina Providentia præſtolantes, in qua confidentia hominis eſt conſtituenda. Hæc autem confidentia generalis eſſe debet, & ſine exceptione tum in iis, quæ ſpectant ad illos, qui nos propius attingunt, tum in iis quæ ad nos ipſos. Parentes exempli gratia nequaquam ſollicitos eſſe decet non pro iis ſolum, quæ ad ipſos pertinent, verum etiam pro iis, quæ ſpectant ad filios ſuos. Ad hæc ipſa etiam confidentia interius, exteriuſque requiritur, quocumque ſimus in ſtatu, ſive afflictionibus circumſepti, ſive hominum, dæmonumque contradictionibus agitati, ſive a Deo virtutis noſtræ periculum faciente tentati; generatim rebus in omnibus, cum omni mortalium genere, & quovis tempore. *Boudon, libro cui titulus, Chriſtianus interior.*

Pauci vere confidunt in Deo.

Intelligamus, quonam ſolatio noſmetipſos orbemus, cum nequaquam innitimur ſtabili anchoræ, quam Sanctus Paulus firmiſſimum ſolatium appellat; & eorum calamitatem deploremus, qui quin ſanctæ huic ſpei incumbant, ſibi tantum inniti vellent, omniaque a laboribus, induſtriaque ſua præſtolari. Non enim diſſimulandum eſt; pauci ſunt, qui in Deum ex toto corde confidant, & eo modo, quo Sanctus Paulus hortatur. Facile Chriſtiani cor dividitur, ita ut in quibuſdam rebus a Deo pendeat, ſed in aliis omnem confidentiam in ſeipſo, ſuiſque viribus ſtatuat: & Sanctus Paulus, qui 2. ad Cor. 1. explicitis verbis ſuadet, ut confidentiam noſtram in Deo conſtituamus, fatetur, ſe a Deo extrinſecus maximis traditum fuiſſe periculis, ut in ipſum unum ſpem omnem transferret, qui illum eripuerat, eripiebat, & erepturus erat de omnibus malis. Quinam eſt, qui poſt hoc exemplum metuere non debeat, ne amittat reliquias omnes miſerrime illius ſpei, quam in illo reponit? *Liber, cui titulus, Chriſtianæ Inſtructiones; epiſtola pro ſecunda Adventus Dominica.*

Anima, ut S. Paulus ait, firmiſſime ſperat, ſed ſperat cum humilitate, ac timore; hic enim videt, ſe in peccato fuiſſe conceptam, ac primo illi ſe alia quamplura addidiſſe crimina, ſibi maximam eſſe imbecillitatem, ſe divinis perperam reſpondere gratiis, iiſque non uti, quemadmodum oporteret; quæ quidem cauſa eſt metus, & humilitatis: inde vero hæc ſecum reputat: verum eſt; peccatrix ſum, infirmiſſima, atque miſerrima, ſed fidem mihi contulit Deus; effecit, ut in Eccleſiæ ſuæ gremio ortum nanciſcerer, mihi cupiditatem injecit inſerviendi ei, ac ſaltem jubet, me in ipſum confidere, quocumque tandem in ſtatu reperiar. Cur ego non ſperem? ſi ſalus meis meritis, virtutibuſque innititur, omnis prorſus abjicienda ſpes eſt; ſed ſi innititur divinæ miſericordiæ, virtuti Sanguinis Domini, & præſidio, quod mihi ad hoc ſe collaturum ſpopondit; cum ſpes mea ita bene fundata ſit, concuti nequaquam debet. *Idem.*

Confidentia in Deo non prohibet, quo minus prudenter timeamus.

Time, ne tumeat, Sanctus Auguſtinus ait, quoniam adhuc procul es ab ea perfecta charitate, quæ metum omnem expellit. Hic autem metus efficiet, ut diligentiſſime nobiſmetipſis invigilemus, ut in malo quidem ſimplices ſimus, neque quidquam facere audeamus, quod vel leviſſimam mali ſpeciem præſeferat; pendentes vero in bono, omnibus pietatis officiis vacantes, ad quæ noſtra nos impellit conditio. Denique ſi Deum unum timuerimus, ſalutaris hic metus ab alio quocumque timore nos liberabit, curam omnem a nobis ſemovebit, ac ſenſim migrabit in perfectam confidentiam, quæ timorem omnem expellit. *De Sancta Martha tom. 1. tractatuum Aſceticorum; tractatu de tumultibus animi cap. 34.*

Si de mea ſubſtantia, boniſque, de requie mea, & conſolatione agitur iis in angoribus, qui me perturbant, & opprimunt, ſi opem neceſſariam ab homine expecto quicumque ille ſit, quamcumque ille auctoritatem in terris obtineat, anxius & inquietus ſum: dubito enim, utrum ſatis miſericors ſit, ut mea infelicitate tangatur, atque utrum ſatis ad ea, quæ patior, adverterit animum. Si de ipſius charitate mihi perſuaſum eſt, eumque mihi gratificaturum puto, neſcio adhuc, utrum miſerationi ipſius par erit juvandi facultas, & an eam opem, quam cupit, conferre mihi poterit. Verum eſto & bonitatem, & poteſtatem habeat, ſi illi defuerit ſapientia, atque prudentia, ut is utatur rationibus, quibus juvare poſſit, illius bonitas, atque potentia mihi nullius erunt utilitatis, atque inde commodum nullum percipiam. Sed quamvis hæ tres qualitates in eodem ſimul invenirentur, quod quidem perraro contigit, non deeſt alia, quæ ceterarum effectum prohibeat, videlicet inconſtantia, quæ humanæ conditioni ſemper inhæret, & a qua immunis eſt nemo. Tu unus Domine diſpoſitionem hanc mihi potes conferre, integramque confidentiam immittere. Tu bonus es & potens. Cum bonitas tua ſit infinita, fieri minime poteſt, ut mei non miſerearis; omnipotens es; ideoque nihil prohibere poteſt, quominus eam, quam vis, mihi conferas opem. Sapientia tua nullis continetur finibus, omnia ita diſponis, ut ſemper cedant e tua ſententia, niſi in nobis obicem, & oppoſitionem inveniant. Denique non deſeris, niſi deſereris. Igitur in te uno omnem confidentiam meam debeo ſtatuere. *Abbas Trappenſis in Moralibus Conſiderationibus in Evangelium Sancti Matthæi.*

S. Petri præſumptio, qui in propriis confidit viribus, lapſus ſui fuit cauſa.

Si Princeps Apoſtolorum, quin in ſemetipſo, ſuiſque confideret viribus, confugiſſet ad Dominum, & ab eo illam petiiſſet conſtantiam, quam ſe habere exiſtimabat, & minime habebat, fidelior ſane fuiſſet, atque evitaſſet malum illud, in quod miſerrime cecidit. Illum Dominus ſuſtinuiſſet, illum, ut ita dicam, ſuis ulnis geſtaſſet, ut a lapſu adeo formidabili ſervaret, & in infelici occaſione illa, in qua calami fragilitatem & flexibilitatem oſtendit, petræ ſoliditatem habuiſſet, & oſtentaſſet. Permiſiſti, o Domine, ut hoc illi malum accideret, primum quidem in pœnam temeritatis, qua ſeipſum præ cæteris fratribus tibi arctius adhærere cenſuerat, ubi temere affirmavit, quod licet alii in re fuiſſent ſcandalizati, ipſe numquam ſcandalizaretur. Secundo ut ipſe ſuam infirmitatem agnoſceret, ut ſemet colligeret, atque in profunda humilitate conſtitutus nulla umquam vi inpoſterum quateretur. *Idem.*

Numquam derelinquit Deus eos, qui eidem diſplicere verentur, & pro virili fideles permanere conantur. Dextera ſua tenet eos, qui ſui ſunt, atque ſua protectione illos ita regit, ut nec mortalium invidia, nec dæmonum improbitas ullum valeat ipſis damnum inferre. Poſt omnia nihil melius eſt, quam ſeſe penitus committere Deo, atque in pace, integraque confidentia eidem relinquere eorum omnium, quæ ad nos pertinent, curam, & diſpoſitionem, certos, illum omnia poſſe, atque rebus in omnibus & gloriæ ſuæ, & ſaluti eorum, a quibus diligitur, conſulere. *Idem.*

Nihil Chriſtiano viro dignius efficere poſſumus quã noſtram in Deo confidentiam conſtituendo.

Optimum, vel ut melius dicam, unicum conſilium, quod fidelis in adverſis capere poſſit, eſt confidentiam omnem in Deo conſtituere, ipſum ante oculos ſibi proponere, ſuamque vitam inſtituere hac mente, ut illi placeat. Hoc adeo neceſſarium eſt, ut qui aliter fecerit, in confuſione verſetur, & Deus ſecreta juſtitiæ ſuæ diſpoſitione permittat, ut minima quælibet in eos, qui ad ipſum non confugiunt, eas impreſſiones efficiant, quas maximi quilibet eventus vix facerent ...... Ceterum fieri non

BIBLIOTECA CENTRALĂ

non poteſt, quominus in vita noſtra procellæ, tempeſtateſque contingant: etenim in procelloſo ſirtibus, areniſque referto mari navigamus. Verum hoc nobis ſolatium affert, quod ſcimus, ubi illi, qui elementorum eſt Dominus, ventis, pelagoque imperare placuerit, fluctus ſubſidere, atque quieſcere; omnia voci illius obtemperare; & rationem, qua hoc imperium ex illius ore elicere poſſumus, hanc eſſe, videlicet illi dicamus, non in Spiritu timoris, ut olim Diſcipuli, ſed cum ſumma confidentia: *Domine ſalva nos, perimus*: niſi Omnipotens dextera ſua naviculam noſtram deduxerit, interitus noſter evitari non poteſt. *Idem*.

Beati, qui in Dei manu fatum ſuum relinquunt, ac ſinunt, ut ille omnino diſponat de iis, quæ ad ipſos pertinent! Veritas hæc conſtans eſt, ejuſque praxis adeo eſt neceſſaria, ut ſine eadem vita noſtra non aliud ſit, quam motus irregularis, & jugis agitatio propter multitudinem actionum, ſollicitudinum, curarumque, quibus repleta eſt, quæ negotium faceſſunt, & ex quibus ſperati fructus hauriri minime poſſunt. Pro certo igitur habendum eſt, unum tantummodo conſilium capiendum eſſe in ea periculorum copia, quibus ſumus obnoxii, videlicet ut reſpiciamus Deum, ac in illo confidentiam omnem conſtituamus; ibi enim invenitur, quod in hominibus inveniri non poteſt; immo neque in iis qui nos ſumma charitate proſequuntur, & diligunt. Sententiam hanc ſæpius in mentem revocare debemus in omnibus vitæ noſtræ caſibus, quæ quidem maximo erit ſolatio, & ſine qua ſæpe quacumque conſolatione carebimus. *Idem*.

SUPPLEMENTUM.

Confidentia in Deo.

Infirmitas noſtra exigit, ut in Deo confidamus.

NE metuas, modicæ fidei anima; magnam Deo inferres injuriam, ſi de illius bonitate diffideres, nutantemque in illo confidentiam haberes. Melius, quam tu, novit ille, quid valeas, & quid ferre poſſis. Singulis diebus tuam infirmitatem experta ſcis, quid de te, deque optimis conſiliis tuis ſentiendum ſit tibi. Si perpendantur aliquando ſenſus, quos de nobiſmetipſis fovemus, credet aliquis, nos labefactari nequaquam poſſe; & poſtquam cum S. Petro diximus, & ſi oportuerit tecum in mortem ire, non te negabo, id agimus, quod ille; ancillæ vocem metuimus, turpiterque Salvatorem negamus. O quam ſumus infirmi! Sed quantum infirmitas noſtra deplorabilis eſt, tantum utilis nobis eſt noſtra experientia, ut omnem in propria virtute ſpem auferat, & confidentiam. Agnoſcamus, quid ipſi ſentiamus, videlicet, quantum infirmi ſumus; ſed hæc experimentalis cognitio animos nobis non auferat; cum infirmus ſum, S. Paulus ajebat, tunc fortis ſum. Magna de nobis æſtimatio magis officit nobis, quam propria infirmitas noſtra. Ne tentemus Deum, ſed in illo omnem confidentiam noſtram conſtituamus; ideo nihil nobis benevertit, quia ſemper eſſe cupimus noſtræ fortunæ opifices, vel ſaltem præcipui noſtrorum conſiliorum actores. Ne deſpondeamus uſpiam animum, noxas noſtras intuiti; dummodo illas non amemus, & nulla ſit, cui clanculum parcere, & indulgere velimus, noxæ numquam nobis obex erunt, quominus ſalutem noſtram aſſequamur. Exceptiones ſolæ gratiam inhibent, efficiuntque, ut langueat anima, quin ad Deum feſtinet. Si vere imperfectiones veſtras ex æquo deteſtamini, eaſque omnes ſpiritui Dei relinquitis, hic illas, non ſecus ac ignis paleas, abſumet; ſed antequam nos ab illis liberet, iiſdem ad vos liberandos utetur. Utetur illis, ut vos humiliet, ut confundat, ut crucifigat, ut omnem, quam in vobis habetis, ſpem, atque confidentiam revellat. Virgas comburet igni, poſtquam nos ceciderit, ut amori proprio moriamur. Sub Dei manu dociles, atque conſtantes noſmet præbeamus. Nimiæ de futuris ſollicitudines nos ad interitum vexant. *P. Croiſet in Aſceticis Exercitationibus*.

Eo plura nobis Deus confert bona, quo magis in illo confidimus.

Cur arbitramini, S. Chryſoſtomus quærit, permiſiſſe Deum, ut Joſeph, vir ille, per quem tot miranda patraturus erat, quem ſemper veluti manu deduxerat, quem deſtinabat futurum primum Pharaonis miniſtrum, & Salvatorem Iſrael; cur inquam cogitatis, permiſiſſe, ut ille tandiu in carceris ſquallore ſordeſceret? Niſi quod, ut Sanctus Doctor ait, Joſeph nimis confidebat in auctoritate Pincernæ Pharaonis, & quod non unice a Deo libertatem ſuam expectabat. Hinc oblectatus eſt Deus diutius illum in vinculis detinere, ut intelligeret tandem non ab hominibus, ſed ab uno Deo expectandam eſſe ſalutem; ac Deum ita jubere. Cur Iſraelitæ adeo crebris affecti cladibus fuere ab hoſtibus ſuis, ſub jugum acti, & in captivitatem abducti? quia, Scriptura inquit, ad aliud quam ad Dei præſidium confugiebant. Ægypti implorabant opem; ideoque Deus in hoſtium partes concedebat, ut illos deleret. Cur Sanctus Petrus poſtquam aliquandiu ſuper aquas inceſſerat, quin ſubmergeretur, paulo poſt imminentem ſibi mortem extimuit? Ipſe JESUS CHRISTUS hanc illi aperit cauſam. Modicæ fidei, inquit, cur dubitaſti? quaſi dixiſſet; ſi tua in me confidentia non ceſſaſſet, te ſemper ſuſtinuiſſem, neque demerſus fuiſſes; ſed ut intelligas, me ſingulariter eſſe Deum confidentium in me, deſerui te, ſtatim ac de præſidio meo dubitare incœpiſti. E contra vero David, licet puer triumphum refert de Goliath, & Gigantem omnium, qui fuerunt, ſæviſſimum ſternit. Quomodo iſtud? Quia nihil in armis, nihil in ſua dexteritate confidit, omnemque confidentiam ſuam in Deo Iſrael, & Deo exercituum conſtituit. *Sermo Manuſcriptus*.

Fundamenta, & bona confidentiæ in Deo.

Vita frugi, in obeundis Chriſtianiſmi officiis, ac proprii ſtatus muneribus fidelitas, experientia miſericordiarum Dei, quam habemus in nobis, vigilantia, & cura in noxis propriis inquirendis, corrigendiſque, nec non in ſincera humilitate, veraque Dei, & proximi confidentia acquirenda, ſolertia in nobis a nobiſmetipſis, terreniſque rebus avellendis, ducendaque vita pura, & vere Chriſtiana, hęc ſunt veræ confidentiæ fundamenta. Hæc illa confidentia eſt, quæ pacem parit conſcientiæ bonæ, & pax hæc regnat in omnes cupiditates noſtras, noſtraſque mulcet ſollicitudines; & hæc una animam inter tumultum, ac deſideria, quibus agitamur, efficit tranquillam. Bone Deus! quinam vani timores, quibus angimur, tollerentur, ſi Dei confidentia regnaret in cordibus noſtris? Sed cur ibi non regnat? numquid nobis non ſuppetunt cauſæ ad illam habendam? Tota religio noſtra nobis hanc prædicat, & nihil nos beatos in terra poteſt efficere, niſi vivens in Deo confidentia. *Pater Croiſet in Aſceticis Exercitationibus*.

Rationes, quæ nos impellunt ad confidentiam in Deo habendam.

Admirabilis ſane eſt Fidei noſtræ cum vita ipſa oppoſitio. Omnibus ſtat Deum unicum eſſe fontem auctoremque bonorum omnium, & uni ejus bonitati accepta referenda eſſe omnia dona, quæ nonniſi ab illo expectare, ac recipere poſſumus. Quare igitur confidentia caremus? Poteratne melius nos ad illam habendam ciere, quam hanc unam ex nobis quærendo, ut ipſe omnibus neceſſitatibus noſtris opitulari teneretur? *Credite, quia accipietis*. Pro certo habete, vos, quidquid petieritis, aſſecuturos, petitamque opem vobis non defuturam. Deus ſuam nobis obligavit fidem, quæ, quidquid ille pollicetur, effuſe conferet, & quæ certe confidentiam noſtram efficere debet inconcuſſam. Cum hoc certum ſit, alia quævis præcautio coram Deo inutilis eſt. Verum cum juramentum hominibus præ reliquis promiſſionibus ſanctiſſimum videatur, dignatus eſt Deus illum promiſſis addere, ut certius nobis oſtenderet, Sanctus Paulus ait, pollicitationum ſuarum immutabilem firmitatem. Alienæ requiruntur probationes? Numquid urgentior requiritur cauſa? Num aliis opus eſt rationibus ad ſpem noſtram excitandam, ad confidentiam confirmandam, inflammandamque fidem? Quæ nobis felicitas eſt, quod infirmitati noſtræ ſemet ſubjiciens Deus propter nos jurare dignetur? Poſſetne melius ſignificare quam ſincerum ſit deſiderium ejus nobis tribuendi, quod pollicetur? Quænam ergo eſſe debet hujus confidentiæ firmitas, quæ adeo validis innititur argumentis? Spes adeo certis ſuffulta rationibus quam in cordibus noſtris parere debet malaciam, & tranquillitatem? Quomodo fieri poteſt, ut reliqui ſint caſus, qui nos terreant, bonorum detrimenta, quæ nos ad deſperationem adigant, rerum perturbationes, quæ tumultum in nobis cieant, Deo nobis opem, præſidiumque ſuum offerente? *P. Croiſet in Aſceticis Exercitationibus*.

Quid ſit in Deum confidentia.

Confidentia in Deo firma ſpes eſt, & moralis certitudo, quod Deus non ſolum efficere poſſit quod ab illo expectamus, ſed etiam quod velit; quod efficiet, ut ipſi neceſſarias inveniamus vias quibus ad illum tendamus; cumque jam nobis Unigenitum ſuum, Spirituſque Sancti primitias, tamquam ſalutis noſtræ pignora, arrhaſque tribuerit, nequeat id nobis denegare, quod ſit ad rem hanc neceſſarium, dummodo illum, uti opus eſt, deprecemur. Et profecto cum ille dignatus fuerit pro nobis morti ſuum Filium objicere, nonne merito in illo omnis confidentia collocanda eſt? Nonne ſperandum nobis eſt futurum, ut nos omni velit periculo liberare, ſi eidem fideles fuerimus, nos ſalvare, ac in regnum ſuum admittere; quod ſi deſit, reliquæ gratiæ omnes inutiles fient. *Idem*.

Quam parum in terrenis opibus confidendum ſit.

Vidi, ajebat Propheta, hominem, cujus mores erant inconditi, ac vitæ ratio prorſus abnormis; hominem, qui cum religionis parum haberet, carneum ſibi effingebat brachium, & cor ſuum a Domino abſtrahens Principum præſidio, amicorum numero, ſuæ dexteritati, induſtriæque tantum innitebatur, & parum de cœleſti ope ſollicitus omnem in homine confidentiam ſuam collocabat. *Vidi ſuperexaltatum*. Vidi hominem hunc proſpero rerum omnium curſu renidentem, elevatum ſicut cedros Libani, atque in ſublimiori fortunæ gradu poſitum. Omnia illi ridebant, omnia illi benevertebant, omnia illi proſperitatum immodicarum perpetuitatem pollicebantur. *Et tranſivi, & ecce non erat*. Tranſivi tantum, & jam evanuerat. Procerus iſte, ſuperbuſque coloſſus in ictu oculi periit; & pretioſa hæc maſſa, hoc humanæ felicitatis idolum tot fulcris ſuffultum, & quod nullis videbatur procellis labefactandum, corruit, comminutum eſt, in pulverem dicto citius redactum eſt: *Et non eſt inventus locus ejus*; & tam præcipiti fuga evanuit, ut ne locus quidem, ubi aſſurrexerat, fuerit inventus. *Pater Croiſet. Ibid*.

Pſalm. 36.

Ibidem.

Ibidem.

Ejuſdem argumenti. Pſalm. 51.

Talis eſt ſors horum beatorum ſæculi, horum fortunæ ſuæ fabrorum. *Ecce homo, qui non poſuit Deum adjutorem ſuum*; qui credidit ſe cœleſti ope non indigere: *Sed ſperavit in multitudine divitiarum ſuarum*. In potentium gratia confidit, in multiplicitate conſiliorum ſuorum, in ſuarum opum magnitudine. Infirma præſidia, carnea brachia, frondes caducæ; quis non crediſſet familiam hanc tutam ab omni procella, omnibus temporum viciſſitudinibus ſuperiorem? Hæreditates pluebant ſuper caput tot hæredum; ſubſtitutiones ultra, ut ita dicam, ſæculorum finem procedebant; theſauri quotidie aggerebantur; nova prędia, quæ in dies ſingulos acquirebantur, certam faciebant fortunam, quę numquam debebat conſeneſcere, tituloſque accumulabant: *Tranſivi, & ecce non erat*. Fictiles pedes ſimulacri ex tot metallis conflati (præclara imago illius confidentiæ, quę in homine conſtituitur) ceſſerunt; unus ſatis fuit lapis ad evertendum, & in cineres redigendum ſuperbum illum coloſſum. Sublimis hæc adeo velox fortuna generationem alteram non expectavit; cedri hujuſmodi ad primum turbinis impetum corruerunt; matris adeo opulentę viſi ſunt pauperes filii. *Idem ibidem*.

In uno Deo æterno immutabili confidere oportet.

Quodnam pręſidium ad animi noſtri ægritudines mulcendas eſt ſtabilis in bonitate Dei noſtri confidentia! Quæ opulentia ad explendum cor inſatiabile! Omne hominum pręſidium eſt infirmus calamus, qui non flectitur tantum, ſed frangitur. Licet eorum voluntas mobilis non eſſet, nihil magis caducum eſt, quam ejus duratio. Numquid dierum ſuorum ſunt arbitri? Ille, in quo confidis, certus eſſe non poteſt, ſe cras hac luce fruiturum. Ubi ſemel evanuerit, quo abeunt ſpes omnes? Licet ſuperſtites futuri eſſemus omnibus patronis dominiſque noſtris, quam opem illi nobis morientibus eſſent allaturi? Omnis eorum poteſtas, omnis bona eorum voluntas coarctatur inter paucos hos dies, quibus nobis vivendum eſt; quid autem nobis prodeſſe poſſunt in æternitate? At longe aliter ſentiendum eſt de confidentia, quam habemus in Deo, deque auxiliis, & utilitatibus, quas in illius ſervitute nanciſcimur. Immutabilis eſt, ab omni mutatione alienus, omnibus vacuus cupiditatibus. Sapientia, æquitas, bonitas ipſa, noſtra dumtaxat improbitas efficere poteſt, ut ad arbitrium noſtrum, ut ita dicam, mutetur. In illo reperimus ſimul fontem inexhauſtum bonitatis, & poteſtatis, quæ nulli obnoxia eſt libidini, vel temperamento. Solus omnium eventuum arbiter, bonorum omnium origo; ipſi non beati, & voti compotes eſſe non poſſumus, donec illius gratia perfruimur. Fruſtra igitur in creatis rebus confidentiam noſtram collocamus; unus eſt Deus, a quo in neceſſitatibus noſtris omnia ſubſidia poſſumus expectare. *Idem Tomo 1. Aſceticarum Exercitationum*.

Licet nobis omnia creata adverſarentur, nobis unus Deus ſufficere debet.

Quam vana, quam labilis eſt ſpes illa, quam in amicorum, conſanguineorum, creatarumque rerum præſidio collocamus! Homines nonne mutationi ſunt obnoxii? Deus autem mutari non poteſt. Homines eſſe ceſſant; Deus æternum ſubſiſtit. In illo invenimus ſemper potentem patronum, amicum benevolum, liberalem, beneficum, Dominum indulgentem, miſericordem, Patrem optimum. Novit ille omnia, quibus indigemus; noſtraſque preces prævertit, illis conſulturus. Sufficit, ut illum diligamus, & certi ſumus benevolentiæ ipſius. Quid autem non poteſt amor, quo ipſe nos diligit? Omnia in nos conjurent creata; infernus totus nobis inferat bellum; nihil nobis metuendum eſt, donec in illius clientela verſamur. Inter furentes procellas ſæviſſimis objecti tempeſtatibus in Deo confidamus ſatis eſt; venti, & mare obediunt illi. Nulla corporis ægritudo, quæ Dei donum non ſit; adverſitas nulla, quæ non ſit munus dexteræ illius; nullus ſalutis noſtræ inimicus, qui illius non ſit; nullus denique eventus eſt, quem ipſe in noſtram cedere non jubeat utilitatem. Neque hac tantum in vita ejus patrocinio, & bonitati confidere poſſumus; ipſe unus noſtra conſolatio eſt in hora mortis; & cum mundus totus nobis eſt inutilis, Deus unus noſtram felicitatem & conſolationem conſtituit. *Pater Croiſet Tomo primo*.

Confidentia in Deo omnes theologicas virtutes complectitur.

Confidentia in Deo complectitur, & vivam fidem, & juſtum conceptum bonitatis Dei, & ſpem ſtabilem in illius miſericordia, ita ut fides, ſpes, & charitas a confidentia nequeant divelli. Neque mirum eſſe debet, ſi confidentia in Deo efficax adeo eſt, & ſi adeo fortiter ſibi cor Dei conciliat. Diceres, Deum confidentię nihil negare poſſe. *Omnia poſſibilia ſunt credenti: Fides tua te ſalvum fecit*, dixit JESUS cæco ſecus Hierichuntinam viam ſedenti. Fidei nomen in his locis omnibus tam confidentiam, quam fidem ſignificat; & profecto nequit haberi fides, niſi confidentia habeatur. Videtur Dei Filius hanc unam virtutem exquirere ab illis, in quorum gratiam miraculum aliquod patraturus eſt. Hæc aptiſſima eſt ad quaſcumque gratias obtinendas diſpoſitio. Nonne dixi vobis, reſpondet Salvator iis, qui dubitabant, an Lazarum quatriduanum ab inferis excitare poſſet: Nonne dixi vobis futurum, ut ſi credideritis, Dei gloriam videatis? Quid autem idem ille duobus cæcis, a cæcitate ſua liberari petentibus? Creditiſne? Confiditis, me facere poſſe, quod petitis? & alibi nonne ait: Omnia, quæ orantes petitis, credite, quia evenient vobis? *P. Croiſet Tomo I. Aſceticarum Exercitationum pro Dominicis, feſtiſque diebus anni totius*.

Marc. 9.

Marc. 10.

Joan. 11.

Matth. 21.

Hæc virtus fuit virtus Sanctorum Veteris Teſtamenti non ſecus ac Novi.

Confidentia in Deo præcipua extitit virtus omnium Sanctorum legis antiquæ. Confido certe, ajebat David, quod Dominus, a quo de Leonum, Urſorumque rictu liberatus toties fui, *Ipſe me liberabit de manu Philiſthæi hujus*. Neque mirum eſt, ſi hæc virtus adeo familiaris Sanctis omnibus fuit, quippe ſine illa, aliæ omnes virtutes deficiunt. Mirum non eſt ſi virtus hæc adeo placet Deo; neque enim ulla virtus eſt, quæ, ut ita dicam, tantum illi deferat honorem, vel quæ æquiorem contineat conceptum infinitæ illius poteſtatis, inexhauſtæ bonitatis, indefectibilis erga peccatores omnes miſericordiæ. Quam grave malum eſt igitur carere virtute, quæ adeo utilis eſt, ac neceſſaria! *Idem ibidem*.

Nulla hic ſecuritas eſt, niſi in Dei protectione.

Deus verus eſt, unicuſque patronus, cujus præſidium nobis eſt requirendum. Alia quævis protectio præter illius inanis eſt, vel pernicioſa. Ille unus ſapiens eſt in conſiliis, fidelis in promiſſionibus, magnificus in donis. Si noſmet illi tradiderimus, certi ſumus, numquam nos ab illo eſſe derelinquendos. Attenti ſimus dumtaxat voci illius, ut hanc ſequamur. Cum ille melius, quam nos, teneat, quid convenit nobis, varias nobis aperit vias, ut tendamus ad gloriam. Alios a graviſſimis periculis liberat; alios tribulationibus probat; ſed in hac ſtatuum varietate ſi oculos in illum convertimus, oculos illius in nos converſos inſpicimus. Brachium illius nos bajulat, dextera illius nos ſuſtinet. Ejus protectio non minus elucet patiendi, quam vincendi vim tribuens. *Primus Academiæ ſermo, anni 1711*.

In ſe vel in aliis confidere, idem eſt ac fracto calamo inniti.

Homo ſemper miſeriarum plenus, ac ſemper felicitatis deſiderio occupatus nonniſi in confidentia in Deo requiem, & ſecuritatem poteſt invenire. Fruſtra quærit propriis viribus, vel ſimilium ſibi ope mala ſua propulſare; funeſta quippe docetur experientia, duplici hac ex parte conditionem ſuam eſſe miſerrimam. Si ſeipſum inſpicit, nihil

BIBLIOTECA CENTRALĂ

hil niſi infirmitates, niſi malorum fontem, niſi vacuum nullis creatis rebus replendum invenit. Inquietus, anceps, ſuæ libidini obſequens, obnoxius varietatibus ingenii, quod ipſi dominatur, mancipium imaginationis, qua fallitur, quotidie in ſeipſum exercet ſententiam, quam protulit Deus adverſus hominem, qui ſibi ſe ſufficere putat. Ita ſuæ conſcius infirmitatis quæritat in creatis rebus vim, atque præſidium, quod in ſeipſo invenire non valuit; & brevi ſentiret, ſe nihil profeciſſe, niſi quod de cæcitate in cæcitatem tranſierit, & alienis incumbere brachiis non magis propriæ felicitati prodeſſe, quam in ſemetipſo confidere. Quod igitur illius erit perfugium? Quid conſilii capiet? Fides illi prædicat, unum eſſe Creatorem, qui vere poſſit opem ferre in neceſſitatibus, lapſum relevare, eumque adverſus inimicorum furorem tueri. *Sermo ſecundus Academiæ anni 1711.*

Quidquid conetur homo, per ſe nequit ſeipſum relevare.

Confidentiam ſuam in creatis rebus collocare, credere ſine Dei ope illas malis noſtris finem imponere poſſe, ſibi propter propria bona plaudere, ac intus ſecum dicere, mihi debeo, quidquid ſum; gloria, fortuna, dignitas mea ſunt opera manuum mearum, non autem dexteræ Dei; hoc eſt non Deum, non ſeipſum, neque creaturas cognoſcere. Et profecto quid eſt homo? Definiamus illum juxta regulas veritatis, & quin amoris proprii illuſionibus nos falli ſinamus. Quantumlibet magnus ſit ex origine, & ſecundum finem, ad quem deſtinatus eſt; dicere poſſumus, quod ad temporales pertinet vires, umbram eſſe prætereuntem, vaporem evaneſcentem, folium venti ludibrium factum; qui, quidquid conetur, ut ſe ſupra vitæ hujus calamitates attollat, ſibimet traditus, ſemper proprio fatiſcit pondere, ac triſtitia, metuque conficitur. Tibi autem, alienum præſidium, humana potentia aliquidne ſoliditatis indit? Ullamne afferre valet opem? Sed quantum confidere poſſumus ea in potentia, quæ exiguis ſane finibus coarctatur, quæ variis vicibus, perpetuiſque eſt obnoxia tumultibus? in potentia, quam in ſingula momenta mors manet, & quæ labentibus tantum fundamentis incumbit? *Sermo ſecundus Academiæ anni 1711.*

Quantumvis potentes ſint homines, auxilium eorum ſine auxilio Dei nullum eſt.

Nequicquam oculos noſtros in creata conjicimus, ut aliquod inde in laboribus noſtris ſolatium percipiamus; nequicquam in brachio carneo confidimus. Illi, quibus potentium patronorum nomen tribuimus, numquid ſemper præſto ſunt, ut in neceſſitatibus noſtris opitulentur? Numquid ſemper ſapientes ſunt, & æqui opum, dignitatum, munerum, quæ ab ipſorum voluntate pendent, diſtributores? Habentne illi ſemper rationem meriti, virtutis, juris, amicitiæ, fidelitatis, qua illos obſervamus, & colimus? Deo benedicite, mundi hujus cultores; veſtram hic teſtor experientiam; nonne fatebimini, ut plurimum inter homines, fidem, juſtitiam, gratum animum, & probitatem deſiderari? Id genus ſunt terrena præſidia. Sed in Deo confidentibus nil tale metuendum eſt. Ejus omnipotentia liquido probat, eum ab his malis nos eripere poſſe; ejus ſapientia nobis veritatem judiciorum ejus in virtutum noſtrarum diſcretione teſtatur; ejus juſtitia nos de promiſſionibus illius certiores facit; ejus bonitas de certitudine protectionis illius facit fidem, cum in illo tantum ſperamus. Fruſtra aſſerere conantur increduli hoc eſſe Deum dejicere de gradu, eique tribuere negotium illius Majeſtate indignum, cum illum nobis fingimus actionibus noſtris intentum, noſtriſque neceſſitatibus conſulentem. Hi ipſum dejiciunt, qui adimunt ipſi vigilantiam ſuper creaturas ſuas, & curam opitulandi illis, qui fidenter ejus auxilium depoſcunt. *Ex eodem Sermone.*

Joſeph magnificum eſt exemplum confidentiæ in Deo habendæ.

Projicitur Joſeph a fratribus in ciſternam, ubi eum perire volunt; alienigenæ divinæ Providentiæ conſilio illac iter agentes ſe illum empturos promittunt. Invidia illum in eam abyſſum conjecerat; ipſum inde eruit avaritia. Ducitur in Ægyptum, ubi recentia infortunia, ac nova divinæ protectionis teſtimonia eum manent. Sed per quas vias, Domine, deducis illum ad magnitudinem, quam illi deſtinas? Decreviſti futurum, ut hic fratribus ſuis imperitet, fiat Ægypti Salvator, & gloria Iſrael: & ille exulat, venundatur, calumniis opprimitur, ferreis conſtringitur vinculis; hi ne gradus ſunt, per quos ad imperium aſcenditur? Apagete fallacia humanæ prudentiæ dogmata; Joſeph a perſequentibus exagitatur; ſed Joſeph fidelis eſt, Deus illi patrocinabitur. Elevatio illius eſſe debet opus Dei: quid enim poſſunt omnes hominum niſus contra voluntatem Omnipotentis? Eſther exul eſt, & captiva; ſed exilio, & captivitate fides illius inflammatur. Regina fit, ſalvet populum Judæorum jamjam propter Amani ſævitiam interiturum. Bethuliæ cives frequentiſſimo, ac ſæviſſimo premuntur exercitu; de illis actum exiſtimatur; virtute, ſpecie, fortitudine matronæ alterius liberantur. *Sermo Secundus Academiæ anni 1771.*

Deus pollicetur ſperantibus in ipſum, ſe auxilio futurum. Fides illius nequit deficere.

Cum tota in Deo collocatur confidentia, ſemper inopinata perfugia, ſemper inſperata ſubſidia affulgent fidelibus in urgentibus neceſſitatibus. Deus ſolemni jurejurando ſe illis adfuturum pollicitus eſt; verba illius gerunt caracterem ſuæ immortalitatis; & providentia illius adeo conformis eſt promiſſionibus ejus, ut omnes provocare poſſim incredulos, ut ex omnibus ſæculi, omnibuſque terrarum nationibus unum mihi proferant juſtum, qui fruſtra in Deo fuerit confiſus. Quam valide rationes nos impellunt, ut in terrenis ac ſpiritualibus neceſſitatibus noſtris ad Deum confugiamus! Verum cum ille præſidium ſuum nonniſi quibuſdam propoſitis conditionibus promittat, noſtrum eſt ſerio, ac matura conſideratione cognoſcere, qualiter affectos nos eſſe oporteat illud impetraturos. *Ibidem.*

Quidquid opis a creatis rebus accipimus, a Deo eſt illis poteſtatem tribuente.

Tota morum diſciplina ad principium hoc poteſt revocari: Deus ſolus eſt potens, ſolus bonus, ſolus perfectus: creatis vero rebus nulla eſt potentia, nulla bonitas, nulla perfectio, niſi quam ipſe illis communicat. Unde ſequitur, quod ad creata confugere, quin ad Creatorem aſcenſus fiat, ac illorum inniti ſubſidiis, tamquam iis aliquid inſit ſoliditatis, hoc non ſolum eſt fulcrum a calamis petere, in mobili arena ædificare, ſed, quod cæcitatis cumulus eſt, Deum ipſum afficere contumelia; quoniam hoc eſt Poteſtatibus terræ hujus illud grati animi tributum deferre, quod uni Regi Cœlorum debetur. Impii, qui tale audetis facinus, non timetis ut hic Deus zelotes juris ſui, injuſtis prælationibus veſtris laceſſitus, iniquitatibus veſtris provocatus delatos ſibi honores veſtros rejiciat: cum vos deſpecti, male habiti, & a creaturis derelicti ad illum reverti cupietis? Non timetis, ut odio habens thus rejectaneum vobis irrideat, atque eadem exprobret, quæ olim tam crebro filiis Iſrael, cum Deo terga vertentes mox, ut ita dicam, eidem tamquam idolo thura adolebant, ubi quidquam ipſis deficeret? *Ibidem.*

Confidentia in Deo primum Chriſtiani hominis officium.

Præcipuum Chriſtianæ officium confidentiæ eſt ſeſe totos, ac ſine exceptione Dei Providentiæ permittere, & creaturas non conſiderare, niſi inſtrumenta, quibus ille in mundi regimine utitur. Ideo ne putetis me in vobis confidere, objecta fallentia, poteſtates mobiles, honores inepti, opes perituræ, mortales formæ. Promiſſiones veſtræ non aliud ſunt quam illuſio, & mendacium. Sinite me in Dei, quem adoro, ſinu quieſcere. Ille unus certas facere poteſt incertitudines meas, ille unus meos poteſt mulcere labores, ille unus mihi verum præbere præſidium. *Ibidem.*

Hæc unum eſt malorum omnium perfugium.

Ex quo homo rebellis defecit a Deo, debet ille omnibus ætatibus pati. Dies ejus ex numero malorum ipſius cenſeri poſſent; & longa miſeriarum ſeries ab illius conditione ſeparari non poteſt. Statim ab ipſa nativitate immergitur in malorum abyſſum, quæ ille magis, magiſque cognoſcit prout in ſui ipſius proficit cognitione; & annorum ſuorum curriculo nonnullæ voluptates ejuſdem laboribus immixtæ nil efficiunt, niſi ut illi acerbiores videantur. Dolores, infortunia, adverſa morbum præparant, ægrumque ad mortem adducunt. Qui de fato hoc ſecundum humana conſilia vellet judicare, nonne videret, a natura illi vitam fuiſſe conceſſam, ut modo crudeli, barbaroque vitæ ipſius uſum eriperet? Ergo miſeri ſumus; at numquid neceſſario tales ſumus? Numquid ſortem noſtram poſſumus permutare? Numquid alia nobis non ſupereſt ſpes, leniendi mala noſtra, quam illa patienter ſuſtinere? Hoc eſſet in nobiſmetipſis confidere, & in viribus noſtris; ſed hæc mera eſt, quæ nos fallit, illuſio. Verum ſi omnem ſpem in Deo conſtituerimus, ſi fidenter opem illius petierimus, certiſſime malorum noſtrorum vel finem, vel ingens ſolatium nanciſcemur. Ut enim nos ad beatam hanc adduceret neceſſitatem confugiendi ad ipſum, & in ipſo confidendi, voluit Deus, fidelitatem noſtram eſſe pretium noſtræ confidentiæ. *Ex Sermone tertio Academiæ anni 1711.*

In mundo confidentia mera eſt inſania.

Mundum cognoſcere ſatis eſt, ut intelligamus, quantum inſana ſit quælibet in ipſo confidentia. Quid eſt mundus? Locus eſt tumultus, ubi domi-

pan-

nantur animi ægritudines, ubi cupiditas imperat, ubi vanitas conſilio eſt, ubi vis, & injuſtitia primas occupant ſedes. Secundum hanc imaginem aliqua ne concipi fortuna poteſt ſine conſcientiæ morſibus, ſine metu, ſine adverſitatibus! Adoremus Providentiam, quæ mundi favorem inanem facit, & impotentem, ut agnoſcamus neceſſario confugiendum eſſe nobis ad Deum, & in illo uno fidendum: *Nos autem in nomine Domini Dei noſtri invocabimus*, inquit Pſalmiſta. Et profecto quidquid creatum eſt, nihil nobis, niſi Deo permittente, prodeſt; quid enim nobis omnes Mundi proficerent vires, niſi Deus ipſe cauſam noſtram ſuſciperet? Sin autem in illo confidimus, ſi eorum omnium, quæ nobis proſpere eveniunt, gloriam illi acceptam referimus, cujus unius tota eſt; quinam hoſtes nobis erunt metuendi? Quam ab univerſo mundo, licet in nos conjuraverit, jacturam recipere poſſumus? *Ex tertio Sermone Academiæ anni 1711.*

Pſalm. 19

In alio præterquam in Deo confidere craſſa illuſio eſt.

Homo in ſemetipſo non habet niſi mala; tantum abeſt, ut ibi felicitatem inveniat in Deo uno quærendam. Si illam perquirit in Mundo, ſentit illuſionem illius, & nonniſi amaritudinem reperit: & hic effectus eſt amoris, quo illum proſequitur Creator, ut ipſum divellat ab iis omnibus, quæ hic illi fucum facere poſſent. Si aliquam in terris quietem mortalis inveniret, ibi figeret ſpes ſuas, & licet Jordani proximus jamjam in terram promiſſam eſſet pedes illaturus, & poſt ſe retroſpiceret, & ſi minus allia, cepaſque hujus Ægypti concupiſceret, tamen ſecus oram hujus fluminis vellet permanere. Sed negat illi Deus pacem hanc fictam, quæ mortem eidem infligeret; imo eidem immittit ſine ullo ſolamine mala, ut reſipiſcere teneatur. Verum ſi Deo fidelis extiterit, ſi in illo ſuam confidentiam collocaverit, quæ mutatio! Gratia replet cor illius; ejus gaudia pura ſunt; & mala quæ patitur, in vera bona convertuntur. Si perituris orbatur divitiis, non ægre fert; ſe ipſum conſolatur eorum periculorum adſpectu, quibus illum objeciſſet opulentia, & quæ ne Sapientiſſimus quidem mortalium potuit evitare. Si in eum perſecutor inſurgit, ſeſe vertit ad Deum illius cor tranquilla pace perfundentem, & aperientem ipſi ſecuturam felicitatem, ubi mala fluxa, & levia gloria immortalis excipiat. Ita vir iſte confidens in Deo omnia hilariter ſuſtinet; timeret etiam, ut merces ſua imminueretur, ſi aliquo reficeretur ſolatio. Plurima tolerat mala, ac ſi libet, mortem ipſam: corpus illius loco victimæ eſt inimicis; anima vero in Dei ſinu quieſcit, & indefectibilibus deliciis inebriatur. *Ex eodem Sermone.*

Poſt tot Dei beneficia, illi contumeliam infert, qui in alio quovis confidit.

Quam infirmus eſt homo cum aliud quærit fulcrum, præter Dei manum omnipotentem! Quam cæcus eſt, cum alium ſequitur ducem præter hoc lumen æternum! Quam inſipiens, cum ſupremam hanc non conſulit ſapientiam! Quam ingratus, cum beneficiorum infinitæ bonitatis hujus obliviſcitur! Quam injuſtus, cum partitur cor ſuum inter hoc bonum, quod unum eſt amore dignum, & illecebras ſæculi fallaces! Si tamen vir hic per ſe adeo contemptibilis oculum conjicit in honorem, quo fit quodammodo divinæ conſors naturæ per ſuam reparationem poſt lapſum, per titulum adoptionis ſuæ in numerum filiorum Patris Cœleſtis, & per jus ſub hoc titulo ad æternam hæreditatem ſibi comparatum, quam glorioſam inveniet conditionem ſuam his omnibus prærogativis ornatam! Et quænam eſſe debet illius in Deo confidentia, ubi illas recte perpendat! Agnoſce igitur, o mortalis, dignitatem tuam; in hoc ſenſu quidam Eccleſiæ Pater exclamat, & cave ne ab eadem degeneres. Homo proculdubio de tanto hoc privilegio ſeipſum deturbat, ubi confidentiam ſuam in alio quovis objecto, quam in Ente increato conſtituit; & niſi omnes ſuas illi affectiones impendit, eidem contumeliam adfert, adeoque illius amorem, & omnipotentiam laceſſit. *Ex Sermone quarto Academiæ anni 1711.*

Homo unice confidens in Deo defert illi honorem Deo dignum, ejuſque ſibi amorem promeretur.

Defert homo Deo honorem ipſo dignum, cum in uno ille requieſcit, & ſeſe totum eidem mancipat. Nam præterquamquod primo hoc tributo eo defungitur, quod illi tamquam unico ſupremo principi, abſolutoque fortunæ ſuæ domino debet obſequium, confitens coram illo ſuam imbecillitatem, & nihilum creatarum rerum, ſibi etiam peculiarem ejuſdem promeretur benevolentiam immolans illi primogenitum ſuum, videlicet amorem proprium. Extremo hoc ſacrificio non ſibi tantum, omnibuſque mentis ſuæ luminibus, verum etiam vehementiſſimo cordis ſui affectui abrenuntiat. Non amplius ut olim erga objecta terreſtria pronus eſt; eorum enim vacuum, ac mobilitatem agnoſcit. Cum fallacibus eorum illecebris æternum facit divortium, ac primum ſuæ originis principium repetens, illuc omnibus viribus, omnibuſque votis adſpirat, tanquam ad bonum ſupremum, a quo omnis pendet felicitas. Huic tamquam omnis beatitudinis centro inhæret, illi omnes affectiones ſuas devovet, in eo omnem requiem ſuam conſtituit; magis magiſque unicum hoc objectum verſus ſe attollit, & deſpicit omnes terræ dignitates, quibus vale extremum dixit. *Ex eodem Sermone.*

Certum noſtræ ſalutis pignus eſt plena in Dei bonitate confidentia.

Plena in Dei noſtri bonitate confidentia, validum eſt noſtræ ſalutis præſidium. Nequiſſimus, criminoſiſſimus, corruptiſſimus homo, qui per pœnitentiam ſuam ex cœno ſcelerum ſuorum voluerit emergere in confidentia hac efficaciſſimum, præſentiſſimumque inveniet omnibus malis remedium. Pœniteat, & confidat; ſalvus erit. Deus hoc dixit, hoc pollicitus eſt; ullus ne dubitandi locus eſt de fide, ac promiſſionibus illius, qui per eſſentiam ipſiſſima veritas eſt? Hac de cauſa ſpes anchoræ navis comparatur, quam ſimilitudinem conſecravit S. Paulus eadem uſus in Epiſtolis ſuis. Licet navis turbine agitata omnium linteaminum, atque rudentum jacturam fecerit, dummodo ſuperſit anchora, ſpes adhuc eſt futurum ut ex imminenti evadat naufragio. Hoc ipſum de confidentia in Deo dicendum eſt; ac dicere poſſumus Cain, & Judam ideo in ſceleribus ſuis periiſſe, quod ad illam non confugerunt. Prior per invidiam irritaverat Deum, mox vero etiam per ſæviſſimam fratris ſui cædem: ſed reprobationi ipſius cumulum adjecit deſperatio; *Major eſt iniquitas mea, quam ut veniam merear.* Alterum turpiſſimæ proditionis ſuæ pœnituit, quam contra Dei Filium commiſerat. Heu! S. Chryſoſtomus inquit, ſi ille in bonitate Magiſtri ſui confidiſſet, ſi ad illum rediiſſet miſericordiam impetraturus, divinus Salvator, qui S. Petro infidelitatem dimiſit, & qui pro tortoribus ſuis oravit, procul dubio proditorem hunc ad pœnitentiam recepiſſet.

Geneſ. 4.

In hac confidentia robur noſtrum conſiſtit.

Huius etiam confidentiæ in Deo alius eſt fructus; quod videlicet validum eſt propugnaculum, ac fortiſſimus clypeus contra tentationes. Hoc apertiſſime Scriptura teſtatur: In ſpe erit fortitudo tua, & alibi ſperabo, & nihil me poterit infirmare. Et ſane quid fortius in Deo confidente? Confidere in Deo eſt in eo requieſcere, & in adjutorium ſibi illius bonitatem, veritatem, potentiam aſſumere. Talibus armis protecti quomodo timeamus inimicum, qui contra Deum prævalere non poteſt? *Paratum cor ejus, ſperare in Domino; confirmatum eſt cor ejus, non commovebitur &c.* In hac confidentia invenitur fervor charitatis, ut facile innoteſcit ex eo diſcrimine, quod inter diffidentem paviduumque amorem intercedit, & eum, quem requirit Scriptura, & qui foras ejicit timorem. Hinc Sapiens illum, qui charitate animatus eſt, comparat aquilæ perniciſſime volanti, ac ſine obice aerem ſecanti. Et Apoſtolus primis fidelibus nonne dicit, Deo cum fervore ſerviendum eſſe, ad quem obtinendum docet, gaudium, ac ſpem vias eſſe efficaciſſimas? *Auctor Recens.*

Pſalm. 111.

Interius gaudium quod gignit in nobis confidentia in Deo, nos efficit ad omnes vitæ eventus inconcuſſos.

Ex maximis bonis, quæ gignit noſtra in Deo confidentia, eſt ſanctum gaudium, quod percipimus ex interiori ſolidaque conſolatione, quæ nullis vitæ caſibus perturbatur. Quomodo enim vita duci poteſt in hoc mundo, ubi quidquid nos ambit fere juge eſt nobis doloris argumentum? Quomodo, inquam, vita traduci poteſt ſine conſolatione? Ubi vero hæc adeo neceſſaria conſolatio poteſt inveniri? Hæc ſane in honoribus, opibus, voluptatibus nulla invenietur. Hæc omnia nimis coarctata, infirmaque ſunt, nimis mutationi obnoxia, ita ut ſolidas nobis voluptates procurare minime poſſint. Si quæ ibi conſolationes reperiuntur, hæ fugaces ſunt, quæ cor quidem fallunt, non replent. Quot etiam moleſtæ accidunt occaſiones, ubi non bona, non voluptates, non amici ullum afferre ſolatium poſſunt? Hoc uni in Deo confidentiæ reſervatum eſt, & amori illius. Quam enim ſolida conſolatio eſt! amari a Deo, & objectum eſſe, in quo ille ſibi complaceat! Quæ conſolatio ſcire ab illo nobis coronam præparari, quam quidquid in terris ſuaviſſimum, & pretioſiſſimum eſt, exæquare non poteſt! Quæ conſolatio eſt cogitare, tenere, certo ſcire nos ab illo per omnes vitæ caſus adduci! eos, qui luctuoſiores, acerbiores ſunt, eſſe media maxime efficacia, quibus utitur, ut omnia proſpere eveniant! Quæ conſolatio in-

BIBLIOTECA CENTRAL U.A.N.L.

ſuter graviſſimas tentationes ſcire, ſi Deus Dæmoni permittit facultatem nos aggrediendi; hanc illi intra certos fines permittere, ac ſecundum virium noſtrarum modum; quæ cum etiam nobis deficere videntur, Deus fidelis, qui, ut S. Paulus ait, non patitur, vires noſtras tentationibus ſuperari, in ipſa tentatione nobis ad illam ſuperandam confert præſidium. *Auctor Recens.*

Si qui in mundo ſunt, in quibus confidere poſſimus, quanta eſt injuſtitia, non confidere in Deo.

Nonne in hoc Dei gloria, & amor agitur, ut minime fallat in ſe penitus confitentem. Filius patri ſuo dicit, taliter in te conquieſco, ut a manu tua deſumam ſtatum, honorem, affinitatem, quam mihi parabis. Famulus hero ſuo dicit, de nulla ſollicitus fortuna ſum, illam, quam a te recipiam, toto pectore amplectar; tibi fideliter ſerviam, & quod ſpectat ad mei laboris mercedem, a bonitate tua pendeo. Amicus in negotii ſocietatem aſſumptus ab amico fidenter illi dicit; negotia, quæ inter nos inſtituenda ſunt, tibi dijudicanda relinquo: confido in rectitudine tua, & æquitate tua, neque alium quam te arbitrum patiar. Hic amicus, herus, & pater tantam in ſe amici, famuli, ac patris confidentiam intuiti, num illam nullo in diſcrimine habere poſſunt, dummodo aliquis iiſdem inſit amoris ſenſus, & probitatis? Quod ſi fortuito occurrunt mortales ita callidi, ut in illis confidere nequaquam poſſimus, quænam injuſtitia eſt non confidere in Deo, ac in illius infinita miſericordia non conſtituere omnem curam negotiorum omnium, quæ & tempus, & æternitatem reſpiciunt? *Auctor Recens.*

Confidentia in Deo ſufficit omnibus tentationibus.

Confidentia eumdem in nobis effectum, eoſdemque ſenſus gignere debet, quos in S. Paulo qui dicebat: *Scio cui credidi*. Illius bonitatem, fidelitatem, miſericordiam probe calleo, & certo ſcio me in confidentia mea deceptum non iri. Tunc amor ejus hac ratione animatus ſe ſatis fortem eſſe credebat, ut difficillimis quibuſcumque tentationibus reſiſtere poſſet. Audebat provocare omnia, utrum ſeparari poſſet a charitate Dei ſui, qua maxime inflammabatur. Hunc ipſum effectum ultro producit confidentia, ubicumque invenitur. Certus ſum de amici mei fidelitate, & cum reputo illa amoris argumenta, quæ mihi difficilibus in rebus præbuit, & auxilia, quibus me juvit, cum illa etiam video, quæ mihi deſtinat pro tempore, quo curis, atque moleſtiis fortaſſe conficiar, ſentio in me amorem meum, & confidentiam geminari, totum cor meum in illius amorem ſe effundit, Certus ſum de Patris mei bonitate, cumque intueor locupletiſſimam hereditatem, quam mihi preparat, benevolentiam, qua mecum loquitur, me erudit, & corrigit, & facilitatem, qua me lapſum iterum ad oſcula admittit, ſentio in me magis magiſque dilectionem meam inflammari. Ita multo magis cum ea recogito, quæ pro me fecit Deus, quæ facere poteſt, quæ promittit, quæ donat, quæ patitur, quæ excuſat, quæ jam donavit, & quamprimum donaturus eſt, recenti ardore ſuccendor, qui mihi ſummam in eumdem confidentiam inſpirat: atque ſi in me vel minimum frigus reperiretur, mihi ſatis eſſet memoria miſericordiæ illius, ut illud confunderem, atque ſuum in me amorem redintegrarem. Ita ſentiebat Sanctus Ignatius Martyr, cui plane explorati eſſe debebant caracteres, & vis ſancti illius amoris, quo conflagrabat, cum ſcribens ad Magneſios gratulabatur, quod omnem amoris ſui erga Deum, & JESUM CHRISTUM in plenitudine ſpei, quam in eodem habebat, extenſionem oſtendebant. Et profecto miſericors Domini noſtri bonitas nos ad illum impenſius diligendum impellit; confidentia, quam nobis inſpirat, amori noſtro ſuam dulcedinem, ac vim impertit; & ut verbo me expediam, ſpiritus ille adoptionis, de quo loquitur Sanctus Paulus, quem in JESU CHRISTO recepimus, nos docet non quidem contremiſcere ſervorum inſtar, ſed amare, ut filios decet; fidenter Deum noſtrum invocare, illi ſine anxietate ſervire, in pace opperiri panem & cibum, quem nobis illius deſtinat benevolentia: neque enim accepimus, inquit Apoſtolus, ſpiritum ſervitutis, & timoris, ſed ſpiritum adoptionis Filiorum Dei, qui efficit, ut peramanter illum Patrem noſtrum vocemus. *Idem*.

Cuinam rei hæc inniti debeat confidentia.

Attente nobis conſideranda ſunt teneræ hujus confidentiæ, quæ juſtis omnibus inſpiranda eſt, fundamenta. Quænam hæc ſunt? Infallibilis Dei veritas, omnipotentia Dei, bonitas infinita Dei. Confidentia noſtra poteſtne firmioribus principiis inniti? *Maledictus homo qui confidit in homine*, inquit

Jerem. 17.

Scriptura, ac inter eas rationes, quæ confidentiam in creatis rebus efficiunt damnabilem, illa vel princeps recenſeri poteſt; nempe imprudentia confidentiæ, quæ fundamento nimis fragili innititur, quod confidentis ſpem nonniſi fallere poteſt. Quod enim bonum, quod ſubſidium expectari poteſt ab illo, in quo fere vel veritas, vel voluntas, vel potentia deficit? Talis eſt homo in terrenis confidens; cor ejus plenum eſt dolo, & mendacio; raro aliis opitulari vult; promittit, ſed promiſſiones ejus fictæ ſunt; ſi ſincere vult, non vult efficaciter; ſi efficaciter vult, non vult conſtanter; & licet ſincere, efficaciter, & conſtanter vellet, immo vellet omnes ſuas curas, laboreſque impendere, ut quod vult, e ſententia contingeret, ſæpe bona illius voluntas inutilis eſt; ſæpe in inanibus deſinit votis; quia poteſtas illius nimium anguſtis finibus arctata cor ſuum non ſequitur; & licet amicitia nullos habeat cancellos, potentia adeo anguſtis continetur, ut pro eo, quem amat, non multa perficere poſſit. Quæ igitur inſania eſt in illo confidere, a quo adeo exiguum ſubſidium expectari poteſt! Quod autem deeſt homini, hoc prorſus in uno Deo reperitur; veritas æterna, immutabilis, & infallibilis, quæ a mendacio æque diſtat ac a nihilo, & quæ nihil pollicetur, quod non magnificentius, uberiuſque largiatur: potentia nullis finibus coercita, cui omnia in cœlis, in terris, in inferis patent. *Auctor Recens.*

S. Spiritus in Scriptura in ſingulis fere paginis nos ad plenam hanc in Deo confidentiam hortatur.

Nihil in Bibliis frequentius eſt, quam officium noſtrum aperiendi cor huic ſanctæ confidentiæ, & omnis Scriptura in hoc unum attenta videtur, ut videlicet excitet in nobis ſenſum hunc adeo juſtum, qui nobis etiam ſummæ eſſe debet conſolationis. Quorſum enim deſcriptiones miſericordiæ, & infinitæ bonitatis Dei expectantis, recipientis, excuſantis peccatorem, & ignoſcentis illi, qui ad ipſum ex corde revertitur? Quorſum tot aſſertiones, a Deo nos unice diligi; illum delicias ſuas reputare eſſe cum filiis hominum; illum velle ſalvare nos, & nolle noſtrum quemquam perire; moderari tentationes, ne ſint infirmitate noſtra graviores? Quorſum tot hiſtoriæ, tot ſymbola, tot verba adeo permoventia, & blanda? Modo mater eſt tenens filium ſuum inter ulnas, quæ numquam illius importunitatibus fatigatur; modo ſponſus fidelis infidelem ſponſam invitans, ut ad ipſum poſt errores ſuos redeat, & promittens, ſe illam benigne excepturum; modo Pater irruens in oſcula filii, qui patrimonium ſuum obligurierat; modo adulteris, publicanis, furibus, meretricibus peccata dimittit, iiſque cœli januam pandit. Quorſum igitur tot documenta, ſi nobis integrum eſt oblatam per illa conſolationem reſpuere? Et quoniam tanta ſollicitudine Deus noſtram excitat confidentiam; nonne conſiliis ejus reſiſtere eſt intra timores, & metus noſtros contineri, ac diffidere. Ceterum in Scripturis non ſolum legem ſperandi in Deo deprehendo, ſed video etiam gratias, & remunerationes huic ſpei, & ſpei conſummatæ, de qua loquor, adnecti? Illi, qui ſanctam hanc foverit confidentiam, inquiunt ſacra Biblia, hæreditas æterna deſtinata eſt; & hic ſanctum montem poſſidebit. Et item beatus ille qui confidit in Domino; erit tamquam arbor poſita ſecundum decurſum aquarum, quibus fertilis fiet; dabit flores, & fructus in tempore ſuo. Siccitas non illi nocebit, nec metuet tempeſtates. Et idem alibi; quia confidis in me, liberabo te. Illud vero, quod multo magis fervorem noſtrum animare debet, hoc eſt, quod Spiritus Sanctus millies ibi repetit, ſine ulla exceptione dicit, immo etiam cum jurejurando aſſerit: beatus eſt, qui confidit; benedictus eſt a Deo, & hunc ſpes ſua minime fallet; ille non erubeſcet, quoniam confidentia ſua numquam erit illi probro. Quid ultra requiritur, ut confirmemur? Deus loquitur, Deus promittit, Deus ſpondet, Deus jurat; numquid hæc omnia fruſtra? Beatus homo, dicere poſſum cum Tertulliano, felix homo, cui Deus tanta pollicetur! Nimis nocens hic homo, ſi Deo juranti fidem non adhibet. *Idem Auctor Anonymus.*

Diffidentia ſemper eſt contumelioſior bonitati Dei, quam præſumptio.

Sunt quidam alieni a præſumendo in bonitate Dei, qui norunt quanta ſit neceſſitas ſalutem ſuam operandi, & illam reipſa operantur; & id audenter, & generoſe operantur. Mundum ejuſque voluptates non amant; peccatum uſque ad ſcrupulum metuunt; ſeduli ſunt in officiis ſtatus ſui rite obeundis; meliorem temporis partem in precibus, & praxi operum charitatis impendentes. Tamen inter has ſanctiſſimas occupationes nullum eiſdem afferre ſolatium divina videtur miſericordia. Perculſi terribili conceptui judiciorum, & juſtitiæ illius obli-

bliviſcuntur, quam amabilis ſit Deus homo, Deus puer, Deus Salvator, & id ſolum cogitant, quid terroris ſit in Deo judice, Deo ultore, Deo ſevero. Vix in hoc audent ſperare. Divinus amor, cui tanta ineſt erga alios ſuavitas, illos non allicit, quapropter inquieti ſunt, ac metuunt, ne illum ſatis ament. Dolent, contremiſcunt, turbantur; afflictum cor illorum in virtutum praxi nullam guſtat dulcedinem aut requiem; nam dicere poſſumus, ſi confidentia quandoque ad præſumptionem uſque aſcendit, non deeſſe juſtos, quorum timor nimis acer aliquando cedit in deſperationem. *Auctor Recens.*

Si fideli amico injurioſa eſt diffidentia, quanto magis Deo, qui neque infidelis eſſe poteſt, neque inconſtans.

Ut humanum loquar, & ſecundum infirma noſtræ rationis lumina, nihil bono cordi gravius eſt, & nihil contumelioſius, quam de illius ambigere amicitia, quam de promiſſionibus illius dubitare, quam officioſis illis oblationibus ob inanem metum non cedere. Idem eſt Regi inſultare, ac de ejus poteſtate dubitare; amicum afficere injuria, ac de illius benevolentia, officiiſque ambigere; & mea quidem ſententia, amicitiæ ex æquo nocet diffidentia, ac ingrati animi vitium. Eſt etiam ingratitudinis ſpecies, cum vetas, ne confidamus in amicitia, quæ jam non ſemel probata fuit; non enim poteſt aliquis de amici alicujus ſinceritate, & officiis dubitare, niſi antea omnium rerum, quibus amicus alter de eo perquam benemeritus fuit, fuerit oblitus. Si diffidentia & timor adeo amicitiæ opponuntur, numquid minus adverſabuntur Charitati? Si homini ſunt contumelioſę, qui velit, nolit, mobilitati eſt obnoxius, numquid non erunt Deo, qui in duratione ſua, æque ac in miſericordia eſt æternus? *Ibid. Recens Auctor.*

Quantumvis ſceleſtiſſimus, ſceleſtiſſimi evadimus, ſi de divina miſericordia dubitamus.

Confidentia Deo glorioſa eſt; hoc Regius docet Propheta. Rex iſte, cui tanta erat metuendi cauſa poſt enormia, quæ commiſerat ſcelera, qui omnem criminum ſuorum ſentiebat confuſionem, omnemque enormitatem ingratitudinis, quam contra Deum commiſerat; qui divinam in ſe armatam videbat juſtitiam, cenſebat ſe non aliter poſſe divinam flectere iracundiam, quam pro viribus eum glorificando, quem operibus blaſphemaverat. Sed quem honorem, quam laudem, quam gloriam illi tribuere poterat ſatis ad reparanda ſcelera accommodatam. Præſtantiſſima, & perfectiſſima illi viſa eſt; in Dei bonitate confidere. In te ſperabo, Domine; ait ille; utique ſemper ſperabo in te, & coronabo obſequio hoc ſpei meæ, quod defero miſericordiæ tuæ, laudes omnes, quas homines tibi poſſunt conferre. *Idem*.

Perfecta quies qua fruitur juſtus ſub alis providentiæ.

Juſtus, cui perſuaſum eſt, Deo cordi eſſe quidquid ad ipſum pertinet, Deum utilitati ſuæ magis quam ſeipſum invigilare, & curam gerere eorum omnium, quæ ad ipſum referuntur; ſuaviter requieſcit ſub tegmine alarum ſuarum, & ad umbram Providentiæ ipſius, quin aliqua quæcumque res illi negotium faceſſat. Videt procellas, ac tempeſtates ſub pedibus ſuis coaleſcere, quin animæ ſuæ tranquillitas perturbetur; audit circum ſe tentationis, & perſecutionis ventos furere, quin terreatur. Deo uni adhærens videt ſub oculis ſuis faſcinantem mundi hujus figuram, ſcænæ alicujus inſtar; ſed vix illam intueri dignatur. Fortuna ſub pedibus ejus rotam circumagit ſuam, alios quidem attollens, alios autem deprimens, quin illum de gradu valeat deturbare. Conſtans in adverſis, modeſtus in proſperis, ſemper æquo incedit pede. Etiamſi terra concuteretur, Cœli labefactarentur, mundi hujus moles diſſolveretur, impavidum ferirent ruinæ. Cum enim omnia in illo inveniantur, quem amat, nihil extra illum quærit; ſtrenue contemnit quidquid mundus eidem offert; & quidquid mundus totus eidem exhibere, ac polliceri poſſet, illum tentare minime valet. *Sermo Manuſcriptus.*

Licet Dei Filius nos doceat confidere in Providentia Dei, pauci tamen confidunt.

Fruſtra Dei Filius nos admonet nobis eſſe Patrem in Cœlo, cui cura eſt alendi aviculas, quin ſationibus, aut meſſis laboribus exerceantur; Fruſtra, repetit ille, liliis agri, qui non laborant, neque nent, magnificos ornatus impertit; Fruſtra hoc eſt; Chriſtiani, ut plurimum, parum confidunt in illo; quamplures etiam nullam omnino in eo ſpem habent; & ubi adverſis premuntur, magis ſuæ dexteritati, & nonnumquam malis artibus confidunt, quam curis divinæ Providentię. Si igitur non expectant illi a divina Providentia ſubſidia, quæ ille numquam negat minutiſſimis etiam animantibus, & quæ pollicitus eſt illis qui in ipſo confiderint; hoc certiſſimum eſt argumentum, in eorum corde non eſſe hanc ſpem, quæ eſt propria filiorum Dei, & cujus terminus, ac merces eſt Regnum æternum. Cum igitur hæc ſpes in bonitate Dei una ſit ex Januis Cœli, & ſine illa nemo ſalutem ſuam valeat operari, palam ſequitur, nonniſi exiguum eſſe poſſe numerum eorum, qui ſalvantur. *Cardin. Bellarminus in Opuſculis.*

Hujus rei argumento eſt multitudo conquerentium.

Spes Chriſtiana nos docet, ſuadetque preſentibus bonis abrenuntiandum eſſe, ſpe futurorum. Hæc efficit, ut pauperibus erogemus quidquid habemus, affirmans quæcumque erogaverimus nobis cum fœnore eſſe retribuenda; quamvis nemo hactenus, niſi eminus viderit quaſi per obſcuræ nubis caliginem magna bona, quæ nobis ſunt in omnem æternitatem promiſſa. Facile eſt perſuadere agricolæ rationem; plurium quippe annorum doctus experientia ſcit in ſingula grana, quæ terris creduntur, centum colligi; & ſi cum labore ſeritur, metitur cum jucunditate; ſed in terris non experimur, eleemoſynam, quæ pauperibus erogatur, producere centuplum in cœlo, ubi nemo fuit. Hinc tam ægre, atque gravate viſibilia relinquuntur bona, ſpe inviſibilia conſequendi. Alia eſt etiam ratio graviſſimæ difficultatis firmiter in Deo confidendi; multitudo nempe calamitoſorum, qui ubique videntur gemere, clamare, ac triſtitiæ, ac deſperationi ſe tradere. Tamen certum eſt, a Deo numquam eos deſeri, qui in divina ipſius miſericordia confidunt, quos ſin minus omnibus liberat miſeriis, illis ſaltem impertit patientiam, quę neceſſaria eſt, ut inde proficiant. Nonnumquam etiam eos in afflictionibus eorum ita conſolatur, ut cum S. Paulo dicere poſſint; *Superabundo gaudio in omni tribulatione mea*. Multitudo igitur conquerentium in 2. ad Cor.
miſeriis ſuis certum eſt argumentum, quod ſi ore hæc Regii Pſaltis verba proferimus, *Deus refugium noſtrum, & virtus*, pauci ſunt, qui vere illa corde pronuntient. *Cardinal. Bellarminus in Opuſculis.* Pſalm. 45.

Permiſit Deus divites, & pauperes eſſe, ut omnibus merendi occaſionem præberet.

Voluit Deus ex hominibus alios eſſe divites, alios pauperes, ut omnibus adeſſet exercendæ virtutis occaſio, & omnes ſimul conjuncti permanerent vinculis amoris proprii. Hoc pacto divites charitatem, & miſericordiam exercent, pauperes vero patientiam, & humilitatem. Divites egent pauperibus, ſive ad agros excolendos, ſive ad oves paſcendas, ſive ad mechanicas artes exercendas, ſine quibus vitæ hujus commoda plane deeſſent. Pauperes viciſſim divitibus indigent, a quibus ſibi præbetur, unde vivant; & licet cum hoc auxilio aliquid illis tolerandum ſuperſit, injuria de divina Providentia conqueruntur. Deus enim, qui amat omnes homines, eorumque neceſſitates cognoſcit, numquam deeſt, quominus ſingulis eorum tribuat, quod illis accommodatius eſt, ut cœlum lucrentur. Ita agere cenſuerit, tamquam ſapiens Medicus, qui juxta ægrotantium affectiones aliis dietam, aliis imperat cibum. Quot ſunt in Cœlo pauperes, qui ſi divites fuiſſent, numquam illuc fuiſſent ingreſſi? *Cardin. Bellarm. in Opuſculis.*

Confidentia in Deo efficit, ut maximos quoslibet obices ſuperemus.

Cum in uno confidimus Deo, illos ſuperamus obices, qui videntur invicti, & operamur ea, quæ communes hominum vires longiſſime excedunt. Nullum umquam fuit iniquius certamen, quam adoleſcentuli David cum Gigante immanis formę, a capite ad pedes ferreis armis circumdato; tamen Scriptura docet, adoleſcentem illum miſiſſe manum in peram ſuam, arreptumque inde lapidem funda ejaculatum fuiſſe, ac cæcidiſſe Philiſtęum, qui corruit in faciem ſuam. David nullum habebat enſem, cum Regi ſe obtulit ſingulari certamine pugnaturus contra ſæviſſimum, teterrimumque adverſarium, qui unus univerſis copiis Iſrael terrorem injecit; arripuitque victi Goliath gladium, quo illum conficeret, & immane caput abſcinderet. *Liber, cui titulus: Axiomata cum exemplis ex Scriptura depromptis.*

Deum honorat, qui omnem in eo ſtatuit ſuam confidentiam.

Confidentiam in Deo noſtram collocare non poſſumus, niſi illum credimus in dictis veraciſſimum, optimum, ut nobis opem ferre dignetur, ſapientiſſimum, ut opitulandi rationes nanciſcatur, potentiſſimum, ut in favorem noſtri exequatur, quidquid ſupra creatarum rerum vires poſitum eſt, prudentiſſimum ut ad id ſuaviſſimis, certiſſimiſque rationibus, quæ humanam fugiunt prudentiam, exequatur, magnificentiſſimum, ut petita nobis concedat, denique infinite miſericordem, ne jugibus infidelitatibus noſtris actus miſereri prohibeatur. At ita de Deo ſentire, idem eſt ac de ipſius eſſentiæ tribu-

BIBLIOTECA CENTRAL U.A.N.L.

butum debitum offerre, eique juxta Prophetæ Regis verba, ei victimam laudis, & gratiarum actionis offerre. *Dictionarium Morale*.

Dei potentia, & amor erga nos noſtram excitare debent confidentiam.

Invenitur in Deo quid efficere poteſt, ut hominum confidentiam mereamur; ſumma potentia, & amor paternus erga nos. Hic ille eſt, qui transfert quo vult montes; qui terram concutit, & Univerſorum columnas fulcit. Fieri ne poſſet, ut tantus Dominus in theſauris ſuis invenire non poſſet, unde noſtræ conſuleret egeſtati? Hujuſmodi credebantur olim Ethnicorum Dei, quorum poteſtas, non ſecus ac Divinitas nulla erat; ſed quis capere poteſt quanta in Deo Iſrael ſit potentia, & quanta erga homines amoris magnitudo? Ego, inquit ille per Prophetam, ſum pater veſter, & quaſi Patris nomen non ſufficeret, ut ipſi intelligeremus amoris ipſius erga nos quantitatem, ſeipſum matri comparat; addit etiam, non deeſſe matres, quæ non adeo conſtanter amant ſuos filios, ut ille nos; eſſe, quæ ſtatim obliviſcuntur, ſe matres eſſe; ſe autem numquam obliturum, nos eſſe filios ſuos: *Sed etſi oblita fuerit mulier infantis ſui, ego tamen tui non obliviſcar*. Ita loquitur per Iſaiam Prophetam. *Sermo Manuſc.*

Iſaiæ. c. 49.

Ipſi tantum in Deo confidere, quantum in nobis diffidere debemus.

Ad noſmet confirmandos cogitemus, non in nobis, ſed in uno Deo eſſe confidendum. Tunc noſtra de propriis viribus diffidentia non innuit defectum conſilii in ſuſcipiendis qualibet in occaſione iis, quæ ad gloriam Dei conferunt; potius vero ſignificat vivam, ſinceramque cognitionem noſtræ infirmitatis in nobis, quæ efficit, ut jure de nobis diffidamus. Curæ tantum nobis de noſtra metuentibus infirmitate ſit, ut magis, magiſque ſperemus; etenim ejus miſericordia ſemper major erit noſtra indignitate, & potentia noſtra infirmitate. Ille facit quidquid ſibi libitum fuerit, & potenti manui illius nihil poteſt reſiſtere. *P. Segneri in Meditationibus ſuis*.

Ipſa in viribus noſtris diffidentia quæ efficit ut ad eum confugiamus, illi eſt jucundiſſima.

Quantum Domino jucunda eſt noſtra in propriis viribus diffidentia! Multo illi acceptiores ſumus, quam cum noſmet firmos, & conſtantes arbitramur, quia Deus vulgo audaces animas confundit. *Domine non relinquis præſumentes de te, & præſumentes de ſe, & de ſua virtute gloriantes humilias*. Et profecto videmus plures in virtute ſua confidentes, in præliandi occaſionibus turpiter defeciſſe; *Intendentes, & mittentes arcum, converſi ſunt in die belli*; cum interire qui timebant, in die prælii ſteterunt; quia ſuæ fragilitatis cogitatio illos humiliabat, efficiebat, ut ſibi carerent & pro tentationis die ad illum confugerent: *Cum infirmor, tunc potens ſum*. Ne igitur animos deſpondeamus, cum cederemus, ut nobis videtur, ſi nobis violenta tentatio eſſet propulſanda. Tunc ſolum ſperemus, fore ut reſiſtamus non quidem cum viribus noſtris, quarum exilitatem cognoſcimus, ſed cum auxilio Dei, qui nobis ſuppetias allaturus eſt indigentibus. *Dominus mihi adjutor*. *P. Segneri Tomo 5. Meditat.*

Judith. 6. Pſal. 77.

2. Cor. 12.

Confidentia in Deo nobis commendatur in ſcripturis.

Confidite in Deo ex toto corde veſtro, nobis Deus ipſe dicit, per os Sapientis; conſiderate quidquid hominum eſt inter Gentes, & ſcitote neminem, qui in Deo ſperaverit, fuiſſe confuſum. Quis eſt ille, qui fidelis in Dei cultu permanſerit, & ab illo derelictus fuerit? Qui illum invocavit, & fuit ab illo contemptus? Patres noſtri ſperaverunt in te, inquit Propheta, & liberaſti eos, clamaverunt ad te, & ſalvaſti eos, confiderunt in te, & non fuerunt confuſi. Jacta cogitatum tuum in Domino, & ipſe te enutriet; Omnem ſollicitudinem veſtram in Deum projicite, quia ipſi cura eſt de vobis. Væ illis, qui deficiunt corde, Sapiens ait, qui non confidunt in Deo, & quibus ideo non opitulatur Deus. *P. Croiſet in Aſceticis Exercit.*

Prov. 5. Eccli. 1. Pſalm. 28.

Petr. 5.

Eccli. 1.

Deus deeſſe nequit ſperantibus in ſe.

Beatus ille, qui confidit in Domino! Potentia Dei illi ſuppeditat media, quibus nobis ſubveniet, bonitas illi ſubveniendi deſiderium inſpirat, ſapientia dirigit illum in electione bonorum, quæ nobis conveniunt. E contra væ illi, qui in carneo brachio confidit! Hominibus, ut plurimum, deeſt de nobis merendi facultas; quibus facultas eſt, deeſt voluntas; & qui opem ferre vellent, neſciunt, quid ſit nobis neceſſe. Quomodo ergo in eorum patrocinio confidere poſſumus? *P. Segneri in Meditationibus*.

Confidentia in auxilio Domini pro nobis eſt bonorum omnium origo.

Hinc arguamus, melius eſſe confidere in Deo, quam in homine; quia confidentia in homine pro nobis eſt malorum omnium origo, cum contra confidentia in Domino ſit cauſa omnium bonorum. *Benedictus vir, qui confidit in Domino*. Nobis ſperandum eſt quodlibet bonorum genus a fidelitate Dei, quia infidelis eſſe non poteſt ſeu per nequitiam, ſeu per inconſtantiam: *Non eſt Deus quaſi homo, ut mentiatur, nec ut Filius hominis, ut mutetur*. Nobiſmet polliceri poſſumus omnia a poteſtate Dei; quid enim non ſperandum eſt confidenti in eo, cujus brachium eſt omnipotens? *Super omnipotentem deliciis afflues*. In Omnipotente non bona ſolum, verum & delicias inveniemus. Bonitas ejus non ibi ſubſiſtet, ut nobis tribuat neceſſarium, verum etiam addet & quod ſuperabundet; *deliciis afflues*. Cur ergo non retrahimus confidentiam ab hominibus, ut illam in Deo conſtituamus? Omnis confidentia noſtra in Deum unum conferenda eſt, a quo bona cuncta procedunt: *Tantummodo in me auxilium tuum*. *Idem*.

Jerem. 17.

Num. 23.

Job 22.

Oſee 13.

Auxilium nobis a Domino expectandum ſine præſumptione, & diffidentia.

Confidentia & præſumptio maxime inter ſe diſtant. Præſumptio eſt ſperare in Deo ultra fines, quos nobis præſcripſit; confidentia ſperare eſt in Deo intra terminos conſtitutos. Termini autem hi ſunt: cum nobis non ineſſe cognoſcimus tantum virium, quantum ad magna ineunda certamina requiritur, plures optemus, ac flagitemus, noſque ad hæc magna prælia præparemus per ea, quæ leviora ſunt, pro quibus gratia præſens ſufficit nobis: *Exerce te ipſum ad pietatem*, inquit Apoſtolus. Sed in hac exercitatione caveamus, ne deſpondeamus animos eo quod ſæpe vincimur, quaſi hæc leviora detrimenta, quæ paſſi ſumus, indignos nos præbeant, qui a Domino conſequamur gratiam inſignes referendi victorias. Aliquid in occaſionibus amittere, non ſemper eſt amovere a nobis Dei noſtri auxilium. Illud removemus dumtaxat cum ex mera ignavia cedimus, & vincimur, quia repugnare nolumus, quaſi Deus unus pro nobis certaturus eſſet, ac victoriam relaturus. Hoc diſplicet Deo tunc in nobis videnti præſumptionem, non autem veram confidentiam. Et profecto quoniam Dominus eſt præſidium noſtrum, hoc eſt, quoniam opitulatur nobis, expectat etiam ut & ipſi pro virili parte aliquid efficiamus; alioquin non ſimpliciter opem nobis ferret, ſed unus ipſe totum pondus ſuſtineret. Ita cum credimus deeſſe nobis vires, quibus eſſet opus, ad ſuperandas magnas difficultates, quas aliquando nobis objicit in tempus futurum, optemus haſce vires minime communes, Deum precibus fatigemus, ut illas neceſſitatis tempore concedat, & interea communibus gratiis utamur, quæ nobis conceſſæ ſunt ad communia prælia ſuſtinenda. Mihi videor Deus te ſatis diligere, ut tibi fideliter ſerviam, licet eorum omnium, quæ mihi in terris antiquiſſima ſunt, jacturam ſubiturus eſſem; ſed quin tempus teram inquirens, qualis futurus eſſem in delicatis hujuſmodi occaſionibus; ſufficit mihi ſcire te meam eſſe fortitudinem, præſidiumque. Infirmitatis meæ cognitio, quin animum minuat, ſpem meam excitabit. Oblectaris, Domine, opitulans ægris fidenter auxilium tuum poſtulantibus; numquid me labi ſines uni tibi incumbentem? *Pater Segneri Tomo 5. Meditat.*

Gratiæ incertitudo auget meritum confidentiæ noſtræ.

Incertitudo, in qua ſumus, num ſimus in ſtatu gratię necne, nobis adeo utilis eſt, ut ſi quis illam ſe nobis ablaturum polliceretur, oblationi huic ſubſcribendum non eſſet. Quorſum iſtud? Ut Deo oſtenderemus, nos velle omnino pendere ab illo, noſtramque confidentiam in illius miſericordia collocare: *Ecce Deus ſalvator meus, fiducialiter agam, & non timebo*. Heu! intelligerene poſſumus, quodnam ſit meritum apud Dominum, ita in manu illius ſortem noſtram remittere! Hoc eſt maximum ſacrificium, & maximus honor, quem illi deferre valeat creatura. Ita humilis, vivida, & heroica iſta confidentia præſentiſſimum eſt medium ad ſalutem noſtram certam faciendam. Sancta quædam anima plurimos annos acerrimis agitata fuerat ſollicitudinibus, ignorans an eſſet in gratię ſtatu necne. Tandem vero tantam induit confidentiam in miſericordia Dei, ut licet Deus illi certum ſalutis ſuæ pignus obtuliſſet, hoc repudiaſſet; ajebat, ut ſemper a ſola Domini voluntate penderet. *Pater Segneri in Meditat.*

Iſai. 12.

Quid nobis faciendum in hac incertitudine, ut ſaluti noſtræ conſulamus.

Ut huc veniamus ſufficit, quod noſtra conſcientia nihil exprobret nobis, quod nos dignos effecerit odio Dei, ex quo per pœnitentiam cum illo in gratiam redivimus. Sufficit nos ita jugiter affectos eſſe, ut melius, quam fieri poſſit ſerviamus illi, & juxta ſtatus noſtri modulum ei placemus, eumque glorificemus. Sufficit, quod decreverimus illum numquam meditate, ac ſcienter vel in levibus lædere. Hoc pretio ſalus noſtra ſecuta eſt: Si cor noſtrum nihil exprobrat nobis, liberum acceſſum habemus ad Deum. *Idem*.

Ve-

BIBLIOTECA CENTRAL

Confidentia in Deo nobis utilior eſt certitudine, quam habere poſſumus ſtatus noſtri in gratia.

Verum eſt Dei judicia eſſe tamquam profundum pelagus, quod dimetiri non licet; ſed cuinam anchoræ fidere poſſumus? Illi ipſi. Ad illum indeſinenter ferventibus precibus confugiamus, bonitatem illius in noſtris egeſtatibus deprecemur, obteſtemur eum, ne permittat, ut illi infideles evadamus. Confidentia, quam per hoc illi teſtamur, nobis erit utilior omni certitudine, quam de ſalute noſtra poſſemus recipere. Quæ quo magis creſceret, eo meritum noſtrum minueretur. *Erit tibi anima tua in ſalutem, quia in me habuiſti fiduciam, ait Dominus*. Nolo aliud ſalutis meæ pignus, quam miſericordiam Dei volentis certe ſalvare me, & qui non poteſt perdere me niſi per nequitiam meam. Me mea terrent peccata, ſed infinita bonitas tua, ſanguis, quem effudiſti pro me, mens, quam mihi inſpiraſti, ut tibi tantum ſervirem, me confirmant. Te amo, Domine; vel ſaltem volo amare te; muni hæc deſideria, illa per gratiam tuam purifica. *Pater Segneri in Meditationibus*.

Jerem. 39.

Ex quo mihi calamitas irruit, me deſertum, delictumque intuitus ſum: *Unicus, & pauper ſum ego*. Tu Domine es unica conſolatio mea, virtus, & præſidium meum: *Ad te Domine levavi animam meam*. Nihil me ſuſtinet, niſi bonitas tua, & adſpectus miſericordiæ tuę. Non ceſſo attollere cor meum ad te, Domine; in te uno meam confidentiam conſtituo. *In te confido; non erubeſcam*. Ne mihi aliquando pudori ſit, te a me fuiſſe derelictum. *P. Croiſet in Exercit. Aſceticis*.

Exemplum veræ confidentiæ in perſona Abrahæ.

Ad examen revocemus, quid promiſerit Abrahæ Deus, & præcepta illi contra ejuſdem ſpem irrogata. Promiſſum illi fuerat fore ut Iſaac frequentiſſimæ ſobolis pater fieret, nihilominus præcipit Deus Abrahæ, ut hunc eumdem immolet Iſaac. Numquid hoc præcepto deterritus Abraham fuit? Quamvis præceptum, atque promiſſio invicem ſibi adverſari viderentur, non hæſit; neque de ſpe dejectus fuit. Minime conqueſtus eſt ſibi verba data fuiſſe, cum ſibi felix progenies fuerat promiſſa, quandoquidem jubebatur illi vitam adimere, qui hujus ſeminis tamquam radix erat futurus. Cum Deus aliquid pollicitus eſt, nihil nobis timorem debet incutere, & de ſpe deturbare. Hoc ſupremam Dei poteſtatem oſtendit, quod conſiliorum ſuorum fines aſſequitur per ea, quæ prorſus videntur oppoſita. Quæ cauſa fuit, propter quam Abraham non hæſit, neque parere dubitavit. Fide obtulit Abraham Iſaac cum tentaretur, & unigenitum offerebat, qui ſuſceperat repromiſſiones. *Ex Opuſculis S. Chryſoſtomi*.

Hebr. 11. 17.

Confidentia in Deo efficax medium eſt ad petitionum noſtrarum effectum obtinendum.

Noſtra in Deum confidentia hunc, ut ita dicam, cogit, ut noſtra exaudiat vota, & ſupernos, quantumvis indignis, miſericordiæ ſuæ theſauros effundat. Ita ille affluenter effundit illos ſuper fideles animas in ipſo fidentes. Immo etiam nihil magis cupere videtur Deus quam filiis ſuis hanc ſolatio pleniſſimam veritatem perſuadere; & dicere poſſumus nihil hoc vel apertius connotatum, vel frequentius in Scripturis eſſe repetitum. In te Domine ſperavi, inquit Propheta, non confundar in æternum; & alibi. Beatus, qui confidit in Domino. Omnes Pſalmi David, omnia Prophetarum ſcripta, omnes Bibliorum paginæ repletę ſunt hortationibus ad Fideles, ut omnes confidentiam ſuam in Deo conſtituant, quam efficacem imo potentiſſimam eſſe affirmant. Quænam via brevior, atque facilior ad illa obtinenda, quæ petimus? Querimur nonnumquam eo quod voti non damnamur; ſed potius de modica confidentia noſtra conqueramur. *P. Croiſet in Aceticis Eſxercitationibus*. *Tomo 1.*

Pſalm. 30. & 33.

Non in creatis, ſed in uno Deo confidendum eſt.

Experimur quotidie creatarum rerum impotentiam, atque infidelitatem, quin hoc valeat imminuere confidentiam, quam in illis habemus. Identidem revertimur ad hos calamos, qui toties ceſſerunt, & confracti ſunt in manibus noſtris. Quorſum ergo adeo parum ſperamus in Domino, in hoc Domino, cujus immenſa poteſtas eſt, & adeo explorata fidelitas? Quorſum, licet ſummam Salvatoris hujus erga nos bonitatem, atque benevolentiam credamus, tam ægre in illo confidimus? Hinc fit, quia non revocamus ad examen, nec ſerio meditamur cauſas, & rationes, quas habemus in eo omnem confidentiam noſtram conſtituendi. Ea nobiſcum repetamus, quæ pro nobis Deus fecit, & dixit. *P. Croiſet in Aſceticis Exercitationibus Tomo 4.*

Idem pergit argumentum.

Non aliam inquiramus cauſam defectus confidentiæ in Deo, quam ingratitudinem noſtram, & modicam devotionem. Quando de aliquo male mereri non ceſſamus, nemo credit, illum, de quo male meriti ſumus, licet noſtri amantiſſimum, velit nobis gratificari. Ipſum conſcientiæ noſtræ teſtimonium illud eſt, quod noſtram in Deo confidentiam infirmat, nutantemque reddit. Hinc eſt, quod fidelibus animabus, quod Sanctis tantum eſt confidentiæ in Domino; quippe horum conſcientia nullam ipſis ſatis gravem exprobrat conſcientiam. Vultis ne in vobis experiri validam hanc, integramque in Domino confidentiam? Ne illi degeneris quidquam eorum, quæ petit a vobis, atque tunc illum ſine diffidentia precabimini, & haud hæſitanter in illo ſperabitis. Nihil nobis magis obeſt, quam defectus hujus in Deo confidentiæ. Defectus hic efficit, ut preces noſtræ fructu careant; omnes apud Deum potentes eſſemus, ſi in nobis adeſſet confidentia in illo, & fides. *Idem ibidem*.

Nulla certitudo eſt in confidentia in hominibus.

Quam parum in hominibus fidendum eſt! Præſidium caducum, fragile, inane! Nihil figere poteſt levitatem cordis inconſtantis, levis, ac mutatorii. Sinceriſſimę amoris proteſtationes, ipſa etiam officia a ſimulatione magis abhorrentia; ipſa etiam veriſſima beneficia ad leviſſimæ auræ ſtatum diſſipantur; omnia ad leviuſculam novi ſyſtematis ſpeciem evaneſcunt. Væ illis, qui his ſenſibus innituntur. Nil mobilius humano corde; nil reipſa frequentius, & celerius mutatur hoc ſenſuum, actionum, judiciorum, & exiſtimationis noſtræ principio. Sicuti amor, & cupiditates ſunt præcipuum illius organum, mirum non eſt, ſi hominum vivendi ratio ſit eorum ingenio conformis. Æſtimaris, laudaris, protegeris, amaris. Numquid virtus tua, num præclaræ qualitates illæ, quæ in te renident, num meritum tuum tot tibi conciliant amicos, principum virorum patrocinia promerentur, te a populo ſecernunt? Nihil æquius videtur, nihil melius conſtitutum, nihil tibi promittere poteſt exiſtimationem, fortunam, favorem diutius duratura. Ne id putes; ne in his confidas. Satis eſt ingruat quidam partium ſpiritus, parum proſperus eventus, caſus aliquis moleſtus, ut totum hoc corruat præſidium, ut omnia hæc vincula conterantur, ut omnia hęc benevolentiæ monſtra evaneſcant. Recentes cauſæ recentes ſenſus peperere; parum ſatis eſt invidiæ timoris, recentis affectus, ut rerum omnium facies mutetur. Sed quid inde arguendum? Hoc. Donec confidentiam noſtram in creatis rebus collocabimus, omnia figuram mutabunt; ubi prima irruerit adverſitas, ab hominibus derelinquemur. Ergo nobis in uno Deo fidendum eſt; unus ille ſtabilis eſt, permanens, immutabilis, neque particeps humanæ mobilitatis. Igitur tuti eſſe non poſſumus, & ab omnibus malis ſecuri, quam in uno illo confidentiam noſtram collocando. *Pater Croiſet in Aſceticis exercitationibus Tomo 1.*